



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

I. N. D. E. D. N. 7. C.

DISSERTATIO

DE

TURBAMENTIS  
VULGI,

In

UNIVERSITATE FRANCOFURTANA  
PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,

D. ET HISTOR. AC POLITIC. PROFESS.  
PUBLIC. ORDINAR.

FAVORE ac PRÆCEPTORE SUC  
OMNI OBSERVANTIÆ GENERE

COLENDO,

Publice exhibita

à

DANIELE Falck / REGIOM. PRUSSO.

In

AUDITORIO PHILOSOPHICO MAJORI


Ad D. V. SEPTEMB. ANNO MDC LXXXIV.



Francofurti ad Oderam,

Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.





DISSERTATIO  
DE  
TURBAMENTIS  
VULGI

Cap. I.  
GENERALIA

- |   |   |
|---|---|
| <p>I. <i>Ufus Vocis; Taciti locus de ea.</i></p> <p>II. <i>Vulgi, Turbae Nomen.</i></p> <p>III. <i>Argumenta ab Hypothesi in Philosophia Rationali, Ludibria mentium Humanarum, Illecebrae, Calliditatis argutie.</i></p> <p>IV. <i>Ἀληθομυθεύειν Democriti, Furari corda Hebraeorum.</i></p> <p>V. <i>Quid sint Turbamenta Vulgi?</i></p> <p>VI. <i>Forum causa Prudentia Indirecta.</i></p> <p>VII. <i>In vulgo Imbecillitas Animi.</i></p> <p>VIII. <i>Saepe &amp; Opinio Perfectionis; Mundus vult decipi: Mala hinc in Republ. existentia.</i></p> <p>IX. <i>Cur non qui vis ad talia profertenda aptus sit?</i></p> <p>X. <i>Stoicorum Sapientem non o-</i></p> | <p><i>pinari: Mandus regitur opinionibus.</i></p> <p>XI. <i>Materia Turbamentorum Vulgi.</i></p> <p>XII. <i>Finis, procuratio majoris Boni, vel majoris mali evitatio.</i></p> <p>XIII. <i>His cessantibus Viras prudentes ea vel neglexisse vel variasse.</i></p> <p>XIV. <i>Necessitas ipsorum in Vita Humana.</i></p> <p>XV. <i>Deum quoque Externa ejusmodi inter Homines non abnuere.</i></p> <p>XVI. <i>Legalitas ipsorum: Jussum est, quod autore Deo fit: Grammaticus non erubescit Solacisimum, si sciens facit.</i></p> |
|---|---|

XVII. Expedire aliquando Humano Generi, etiam negligis Internis: Usus Juris Externi in Vita Sociali non attento jure Interno.

I.



**D**E TURBAMENTIS VULGI, h. externis illis, quibus homines terreri aut incitari solent acturi, Nominis rationem initio reddimus ex Tacito, ubi consilia Ottonis contra Galbam exponit: *In itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemq; militum nomine vocasse, contubernales appellando, alios agnovisse, quosdam requisivisse, aut pecunia aut gratia judisse, inferendo sapius querelas & ambiguos de Galba sermones, quaq; alia TURBAMENTA VULGI.* Hist. 1. 23. Turbamenta dixit, talia enim non iudicio aut consiliis magis, quam impetu quodam animi & perturbatione reguntur, ut loquitur Cicero Orat. II. c. XLII. *Qui alias Perturbationes vocat motus concitati animi, opiniones, iudicia levitatis.* Vid. *Tusc. Q. L. III. IV. & X.* & in primis *Fin. L. III. X.* Turbamenta igitur erunt, tanquam ex Perturbationibus nata. Ceterum TURBAMENTUM quoque Turbæ, h. motui seditioso Synonymum est, ut apud Salustium in Orat. Lepidi ad Pop. Roman. *Maxima Turbamenta Reipublica atq; exitia probate:* Et apud *Amm. Marcell. L. XXV. Dissensiones & Turbamenta;* Et *L. XXVI.* In Turbamentis publicis aliquoties causa ingentia impedivit. Id tamen hujus loci non est.

II.

*Vulgi nomine multitudinem hominum regi sutorum intelligimus. Seneca Turbam dixit de Vit. Beat. c. II. Et Turbam ac imprudens Vulgus eodem sensu conjungit de*

Br.

*Br. Vit. c. 1. quia ferè non vacat perturbatione & commotione, quo sensu & ab aliis accipitur. Statius Papinius, quoque hinc Turbam & primos opposuit, tanquam regendos & regentes:*

*Incubère vadis passim discrimine nullo*

*Turba simul primiq. IV. Thebaid. 162.*

Unde & Nominis nostri etymologia non planè nulla erit, TURBAMENTA hinc dici, quod TURBAM, h. vulgum maxime moveant.

### III.

In Philosophia Rationali vocabuntur *Argumenta ab Hypothesi* seu ex datis sumpta, quæ argumentis ad veritatem opponuntur. Data sunt præsumptæ Notiones, seu quæ semper quod sunt sumuntur, Joh. Gramm. in *Postter. c. VIII.* Sicq; Commentatores Aristotelis observant, ipsum in argumentis de motu animæ minus firmis quidem uti, ea v. nihilominus efficacia esse, quia sunt ad positionem; *Aliter enim argumentandum est ad eum, qui simpliciter intendit veritatem, quia ex veris oportet procedere;* Sed qui arguit ad positionem, procedit ex datis, & ideo frequenter Aristoteles, quando argumentatur ad positionem, additur quod inducat rationes parum efficaces, quia procedit ex datis ad interimendum positionem; Thom. in *Arist. de Anima L. I. Lect. 6. init.* A quibus non longe absunt, quæ de solutionibus seu *Responsionibus ad hominem* habentur apud Keckermann. *System. Log. L. III. c. IV.* Apud Historicos eadem sunt *Ludibria mentium Humanarum*, ut apud *Curt. Lib. VII. c. VII.* ubi de superstitione loquitur: *Illecebras* vocat *Ammian. Marcell.* in historia *Rebellionis Procopii Lib. XXVI.* *Esq; quidam stoliditate præcipites ad capesendum missi sunt, aurcos, scilicet Nummos effigiatos in vultum Novi Principis, aliq; ad Illecebras aptantes.* Et *Lib.*

XIV. ubi de consiliis tollendi Gallum Cæsarem loquitur, Scudilo inducitur *velamentis subagrestis Ingenii persuasio- nis opifex callidus, qui cum adulari sermone seriis admixto proficisci pellexerit*; Gallus vero *his Illecebris ad meliorum expectationem erectus ire constituerit. Calliditatis argu- tias idem vocat, sed in malam partem L. XXVI.*

## IV.

Apud Græcos hanc in rem non incongruum No- men est τὸ Ἀληθομυθεύειν, quò usum legimus *Democritum*: Ἀληθομυθεύειν χρεῖων ὅπου λήθων, ut habetur inter reliquias Scriptorum ejus ex Titulo *περὶ ψεύδους in Excerptis Poësis Philosophica ed. ab Henrico Stephano f. 106.* & citatur à Gro- tio J. B. L. III. I. XIV. Estq; vi vocis, *Vero-falsum dicere*, seu potius *specie veri aliquid fingere aut fabulari*, minimè autem *veriloquium*, ut *c. l. Grotii* versum legitur; *μυθεύειν* enim est *fingere*, *fabulose narrare*, *ψευδῶς λέγειν*, *μύθημα* *Narratio fabulosa*, cujus nulla cum veritate connexio: A- deoque inter ea reponendum, quæ Oratores *Acuminis* nomine efferunt. Apud Hebræos talis est formula *Furabi corda*, h. clanculum, insciis illis quorum interest, sub specie aliena aliquid faciendi: Quo sensu inprimis acci- pitur *II. Sam. XV. 6. Et furabatur Absalom Cor Homi- num.* Quod ideò & recte Chaldæus Paraphastes retinuit, & post eum Germanici Interpretes: Also stahl Absalom dem Volcke das Herz. *LXX.* vero tanquam explicationem sub- stitutum: Ἰδιποιεῖτο τὰς καρδίας πάντων τῶν ἀνδρῶν; Et Vul- gata: *Sollicitabat corda virorum Israel* h. subornabat, malis artibus conciliabat gratiam, se benignum osten- dens & comem, *Mariana* not. in h. l. *Cum enim acce- deret ad eum homo ut salutaret illum, extensa manu apprehensum osculabatur eod. l. v. 5.* Planè ad eum modum,

DE TURBAMENTIS VULGI.

quo Otto quoque, *protendens manus adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro Dominatione agere.* Tac. *Hist. I. XXXVI. Conf. Grot. not. in h. l. Furatus v. fuisse dicitur, quia in animos Populi irrepserat inscii, quid ageretur: Unde & ducenti, quos Absalom secum abduxit, dicuntur abiisse in simplicitate sua, nec scivisse quicquam, eod. l. vers. 11. Nec Græci ab hoc loquendi genere alieni sunt: Sic enim Aristoteles III, Rhet. c. II, Ubi Consilia celandæ artis Oratorem docet, jubet ipsum verbis familiaribus uti, tunc enim κλέπτειν εὔ, inquit, h. bene latet. Et apud Xenophontem ac Platonem κλέπτειν τὰ πάλαια est Hostium Consilia & Conatus clanculum explorare. Gregor. Nazianz. de permessa Circumcisione post Baptismum: Γεγόνασιν ἀντὶ ἐθνῶν Ἰουδαῖοι, ἀντὶ ᾧ ἴστω χριστιανοὶ ταῖς κατὰ μέρος μεταβάσεις κλαπείντες ἐπὶ τὸ εὐαγγέλιον. Furtim adducti ad Evangelium. Plura V. ap. Stephan. Lex. V. κλέπτειν. Confer. Martyr. Comm. in c. l. Sam. Cicero quoque Or. pro Corn. Balbo dicit Furari Civitatem, i. clam & furtim in civium numerum irrepere.*

V.

TURBAMENTA VULGI itaque sunt *Rationes externa specie homines moventes: Rationes sunt*, h. argumenta persuadendi, quia enim cum hominibus & de rebus humanis agitur, aliquâ saltim ratione opus est; Sine omnium etiam specie rationis agere non humanū, sed beluinū est. *Externa vero specie*, h. quæ non suâ vi, sed aliena, quæque non inhæret rei naturæ, sublevantur, ut Cicero describit Orat. L. II. c. XXXIX. Nam cum talibus negotium est, qui interna, adeoque substantiam rei perspicere vel non possunt, vel non curant: *Moventes: Concitantes & impellentes, non convincentes; Assumpto enim non genuino constant robore.* Vulgus Marii simile est, qui præfunt



ei Ventis, qvi mare, qvacunqve volunt impellunt: *Polyb. Hist. L. XI. Cic. Orat. pro Cluent.* Basilius eodem fine *Nebulæ* comparavit, qvæ juxta externos flatus huc & illuc fertur. Conf. *Dion. Chrysof. Or. ad Alexandr. XXXII.*

## VI.

Causa efficiens est *Prudentia indirecta*, h. per ambages & circuitus instituta, qvæ dum directè se hominum animis insinuare neqvit, per vias obliqvas hujusmodi qvæ vult, inducit. Quod Seneca expresfit: *Sapiens non semper it uno gradu, sed una via.* Et Lipsius: *Non cursum eundem tenet, sed portum.* Pol. L. III. c. V. *Hac didici, hac vidi, hac scripta legi, hac de sapientissimis & clarissimis viris, & in hac Republ. & in aliis civitatibus monumenta nobis litera prodiderunt, non semper easdem sententias ab iisdem, sed quascunq. Reipubl. status, inclinatio temporum, ratio concordia postularet, esse defendendas.* *Gloria tandem in occasionibus ambiguè in eo posita est, ut quis incolumis evadat. Quod utilitas videbatur, magnanimitas est, postea prospero successu coronata. Magna animi fortitudo est & rationis vis, nonnunquam generosè indolis spiritus cohibere & necessitatem presentem periculique magnitudinem expendere. Spiritus magni potius quam utiles pro circumstantia comprimendi, fortitudinem solertia & sagacitas moderari debent. Quod per vires non licet, ars & industria sepe efficiunt.* *Cicero Orat. pro Planco.* Sic in Oceano si ventò minus secundo portum recta tenere gubernator neqveat, mutata sæpius per artem velificatione, eum assequi laborat, & alleqvitur ac eodem omnino vento ad quamcunqve è duabus oppositis placuerit partem, suam appellit navem. Si etiam animadvertit fluctibus obsisti non posse, ab iis jactari se sinit vela demittens. Confer. Dn. de Jena *de Rat. Stat. Diff. III. Concl. VII.*

*tiam*

DE TURBAMENTIS VULGI.

9

*Prudentiam indirectam* vero vocamus, quia non ex intentione seu animi proposito talia pro veris ventilandi proficiscitur, sed tantum obtinendi boni majoris causa. *Ἐπὶ τῷ πλησίον ὠφελεία μόνη πῶσις παρὰ τὴν αὐτῷ προσηγμένους αὐτοῦ προχρησθεῖς, ob utilitatem proximi facies quaedam, quae sponte alioquin ac primaria intentione non faceret*, inquit Clem. Alex. de viro Bono agens. Et *Chrysost. in I. Cor. IX. 20.* de Paulo Ἵνα γὰρ ἴδῃς ὅτις ἀληθῶς εἰς ταῦτα μεταστήσῃ ἐν τῷ αὐτοῦ ἐν ἀληθείᾳ ἐπιδοκυνύμενος μόνον, καὶ ὦν ἢ, εἰδὲ ἐν διανοίᾳ ταῦτα περὶ τῶν ἄλλων ἐχέσθαι. *Ut enim qui tales revera erant, corrigeret, factus ille talis, non revera, sed externa specie tantum, non existens talis, neque ex animi proposito ea agens.* Quam proinde & *οἰκονομίαν* dicere amat, ut *I. Corinth. IV. 6.* ἢ τῶν ταῦτα ἐχέοντες, ἀλλὰ συγκαταβάσας ἢ οἰκονομία. *Non hic fraus fuit, sed obsequentia quaedam dispensatio.* Et de Sacerdot. *L. I. μάλλον ἢ εἰδὲ ἰπύτην τὸ πῶσι δὲ καλῶν, ἀλλ' οἰκονομίαν πᾶν ἢ σοφίαν, ἢ τέχνην ἰκανῆ πολλοῖς πόρῃς ἐν τοῖς ἀπόροις εἰρεῖν, ἢ πλημμελείας ἐπινοοῦσθαι ψυχῆς.* *quam ipsam tunc ne fraudem quidem nominandam putaverim, verum Oeconomiam quaedam potius ac sapientiam artemque, qua possis è mediis iisque imperviis desparatarum rerum angustiis difficultatibusque, correctis emendatisque animi vitiis evadere.* Unde & Paulinum istud nonnulli huc referunt *II. Cor. XII. 16.* *Cum essem astutus, Dolo vos cepi.* Astutiâ bono sensu accepta, q. d. Artificiose solertia & cauta prudentia ego Vos converti. *V. Thom. 2. 2e. Q. LV. Art. IV. ad 1.* Sed de hujus genuino sensu dicitur *seq. c. IV.*

VII.

Vulgus v. cur eandem admittat, in imbecillitate Animi sicutum est, seu ut *Dion Chrysostomus* loquitur, quia *vulgarium est plebejorum hominum patrus est Genius, τῶν μὲν*

B

28

ὅδ πολλῶν ἀνθρώπων ἢ ἰδιωτῶν ὀλίγος ὁ δαίμων. *Or. de Regn.*  
*III.* Itaque mirum non est, si in obvia quæque, sæpe  
 etiam vana rapiatur. *Non merita virtutis expendit, nec  
 publice utilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nu-  
 sat incerto, inquit Ambros. Hexam. L. V. c. XXI.* Et *Joh.*  
*Chrysof. in c. I. Joh. Homil. II.* ἢ πάλιν ἱεροῖο τί δήποτε ὁ δῆ-  
 μῳ ἴσιν, ἱρῶσι, πρῶτον θεοῦ γέμοι ἢ παρεχόμενος ἢ ἐξ ἀνοι-  
 ας τὰ πλείοι συγκείμενος, ἀπλῶς φερόμενος κατὰ τὰ της θεότη-  
 τος κύματα πολλῶν, ἢ ἐκ ποικίλων ἢ μαχομένων συνιστάμενος γνῶ-  
 μης. *Quod si quid sit Populus percontaberis? Quiddam  
 dicent tumultus perturbationis que plenum, i. stulticia majori  
 ex parte constans atque compositum temere, ad instar flu-  
 vium maris varia & pugnante sententia sæpenumero ja-  
 statum.* Unde etiam veritatis pessimum interpretem vo-  
 cat *Seneca l. ante c. Tacitus, Vacuum curis ac sine falsi  
 verique discrimine adulationes edoctum Hist. II. XC.* quia  
 enim naturam rerum non penetrat, veritatem quoque  
 haut facile invenire potest. *Vidimus stultos & risimus, quos  
 custos aut magister alligabat straminis exigui fli modo, atq;  
 illi stabant quasi ferro aut verà compe de vinciti. Similis  
 nostra hac dementia, qui futillis opinionis vinculo adstringi-  
 mur.* *Lipf. Constant. L. I. c. IX.*

## VIII.

Accedit ut plurimum, quod imbecillitas illa sine  
 sensu sit, adeoque opinione perfectionis propriæ homines se  
 ipsos alant: Unde censura meliorum, Impigritia Linguae,  
 Verborum ferocia, privata stimulatio, aliaq; hujus gener-  
 nis in Vulgo passim notata *Vid. Tolosan. de Republ. L. X.  
 c. IV. n. 12. Lipf. Civil. Doctr. L. IV. c. V.* Eaque insanabilia  
 quia nesciunt se ægotare. Hinc tritam illud: *Mundus vult  
 decipi; Sponte enim errat, unde nulla ipsi à sana ratione  
 mede*

medela, sed instar pica laborantium Carbones, Cretam aut Lutum coagulatum appetit, h. ex infirmitate: iudicii & inani persuasione falsa veris antefert, & in horum relegatione triumphat. Confer. *Piccart. Obs. Dec. XI. c. I V.* Unde ipsis quoque Rebus publicis sæpe accidit, ut Populus vana quadam opinione deceptus suam ipsius ruinam appetat. Sic Populus Romanus olim turpes iudicavit cunctationes Fabii Maximi, Laudabilem contra Varronis Consulibus celeritatem, qui per plateas publicis locis promiserat, se Annibalem victurum, si potestatem cum ipso dimicandi acciperet; *Vulgo enim quicquid modestum, ignavia speciem habet, quod circumspectum & providum, segnitia; Quicquid autem abruptum & præceps, id forte & virile censetur.* Thucyd. L. III. Sed eo ipso gravem cladem passus fuit, qua Res Romana propemodum interiit. Similiter M. Centenius Penula octo millia & amplius eodem tempore perdidit. Petiorat enim à Senatu, ut sibi quinque millia militum darentur: Se peritum & Hostis & Regionum brevi operæ precium facturum, & quibus artibus ad id locorum nostri & Duces & exercitus capti forent, iis adversus Inventorem usurum; *Idque non promissum magis stolide, quam stolide creditum fuit,* inquit Liv. L. XXV. Senatus interim annuit, ne si hoc illi fuisset denegatum populus sibi infensus redderetur, eoque satius duxit periculo eos committere, qui ipsum sponte sequerentur, quam ut novam aliquam dissensionem inter Plebem & Senatum causam præberent, Plura V. ap. *Machiav.* in Liv. L. I. c. LIII. Prudentiores nempe de hisce cogitant, quod Servator de Phariseis dixit Matth. XV. 14. *Sinite illos: Cæci sunt & Duces Cæcorum; Cæcus autem, si Cæco Ductum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Hinc nec cujusvis perfrationes vulgo admittantur, sed eorum tantum, quos vel ingenio suo respondere sentiunt, vel ob perfectionis opinionem sequendos autumant. De priori Socrates in Orat. de Pace. *Illos extollitis, quorum pro concione se maxime jactat improbitas, & populariores esse ducitis. ebrios, quam sobrios; amentes, quam recte sentientes, peculatores, quam eos qui suis operibus Rempubl. locupletant, ac vestris tum utilitatibus tum voluptatibus inferdiant.* Tales Cicero inducit Palicanum, aptiorem imperitorum auribus, & Cneum Carbonem ac Marcum Marium, *minime dignos elegantis conventus auribus, sed apertissimos turbulentis concionibus* in Bruto *c. LXIII.* E contrario Appius, Coriolanus, Metellus, Phocio, Hermodorus non male sensere quidem, apud Populum tamen nihil profecerunt, sed se ipsos potius Remque publ. aut perdidit, aut in summum periculum adduxerunt. Bodin. *de Republ. L. IV.* Posterius in Florentinis eluxit, *quos cum tanto civitium armorum furore inter se exarsissent, ut civium strage ac sanguine urbs ipsa redundaret, nec ulla vis humano alios ab aliorum cade detruelle-re possit, solus tamen Franciscus Soderinus Pontifex ornamenta Pontificia indutus ac Sacerdotum corona comitatus, cruce praecunte comescuit, inter medios civium cuneos progressus, cunctis repente Religionis veneratione arma ponentibus, sicque noviter Verus illud Curtii comprobantibus: Multitudo impotens, sava, mutabilis, ubi religione capta est, melius Patribus, quam Ducibus suis paret. L. IV. c. X.* Confer. Bodin. *c. l.* At exadverso in Seditione Constantinopolitana inter Cives & Herulos sub Justiniano, cum Sacerdotes eam compositam exirent, *cum sacris divinatorum, Evangeliorum Codicibus & Servatoris nostri venerandis ima-*  
gini-

ginitus in medium agmen præstantium penetrantibus quidem, rati eos verecundia sacrarum rerum, positis armis pugnam omisuros. Sed Barbari iis plane despectis, populum trucidarunt, neque sacris neque bajulis eorum parcetes. Zonar. T. III. in Vit. Justin. Tantumque proinde abest, ut conatus iste tumultum sedando fuerit, ut urbanae multitudini potius incentivum, seditionis extiterit ad vindicandam veluti Numinis injuriam majori desperatione, inflammata; agente eodem Zonura. Caruerunt nempe, externis illis, quibus Vulgi Ingenia duci solent; Soderinus vero autoritate sua se dudum commendaverat: Idcoque hic pervicit, illi operam lusere.

## X.

Ex eodem porro Lucem accipit Stoicorum placitum: *Sapientem non opinari*; Sapientem, h. virum perfectū, μη δόξαντων ὀφθῆναι, τίς τε ψευδῶν μὴ ἀληθῶν ἀποδοῦναι. Non opinaturum Sapientem, hoc est, falso nulli unquam consensurum: Neque enim aliud est opinio, quam aut falsa de rebus indicare, aut vera, sed infirmiter, nec ratione suffulta. Laert. Vit. Zenon. L. VII. *Perturbationes nulla natura vi commoventur, omniaque ea sunt opiniones, ac judicia Levitatis, itaque sapiens vacabit.* Cic. Fin. L. III. x. Vacabit sane, quia perfectus est & perfectè ratiocinatur, opinio autem imbecilla, aut falso incognitoque vicina est. *Mundus è contrario regitur opinionibus*, quia plerique non iudicium, rectè conformatum sequi amant, sed impetu & quadam etiam temeritate ad iudicandum ducuntur. Cic. Orat. pro Plancio. *Cito opinionibus abducimur, neque aliud fere hodie nostrum discere ac docere*; Etiam in externis rebus opiniones vexant, & graviora aut majora omnia veris proponunt. Lips. Manud. ad Stoic. Phil. L. III. *Differi. K III.*

De quo argumento V. præter alios Schupp. singulari Tr.  
 Von der Einbildung in Opp. f. 492.

## XI.

De materia pauca verba faciemus: Sunt illa omnia quæcunque Affectus aut Confusa Ratio admittit ac in sapientiam verti patitur; Et in univèrsum quicquid probabilis aut Sualorii extrinseci nomine in Rhetoricis aut Topicis tradi solet; nihil eorum enim ex Visceribus rerum desumptum est, sed ex iis quæ naturam rei per se non contingunt. *Plura multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliquâ permotione, mentis, quam veritate, aut præscripto, aut juris normâ aliquâ, aut judicii formula, aut legibus.* Cic. de Orat. L. II. c. XLII. Ipsi motus gestusve, ipsumque adeò silentium hic locum inveniunt, veluti Cicero de Lucio Apulejo Saturnino, quem eloquentissimum visum fuisse scribit: *magis specie tamen & motu atque ipso amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentis.* in Bruto c. LXII. De quibus aliisque innumeris vid. Cicero, de Inventione passim, & post eum quotquot Institutiones Oratorias fideliter scripserunt; quæ omnia huc transcribi instituti nostri non esse autumamus.

## XII.

Finis est procuratio majoris boni, vel majoris mali vitatio. Quod Cicero circumloquitur, si aut incommodum aliquod majoris vitandi incommodi causa, aut majoris adipiscendi commodi suscipitur; aut commodum aliquod majoris adipiscendi commodi aut majoris vitandi incommodi præteritur. *Invent. L. II. c. LXIV.* Hocque est quod Proclus ad Platonem dicit: *τὸ γὰρ ἀγαθὸν κρείττον ἐστὶ τῆς ἀλγεύσης: Quod bonum est, id vero est melius.*

Et

Et Democriti istud jam superius laudatum: ἀληθοῦς  
 γνώμην χειρῶν ὄψιν λαβόν. *Veritatem fingere utile est, ubi id magis  
 expedit.* Seneca: *Incredibilia affirmat, ut ad credibilia per-  
 veniat.* Confer. Grot. L. III. i. XIII. Sic Cicero *Jus Augu-  
 rum Reip. causa conservatum ac retentum* scribit *Divin. II.  
 XXXV.* Et eod. l. c. XXXIII, *Retinetur & ad opinionem vul-  
 gi & ad magnas utilitates Reip. Mos, Religio, Disciplina,  
 Jus Augurum, Collegii Autoritas, Religio h. non Dei cul-  
 tus, sed auspicia, & siquid predictionis causa ex portentis  
 & monstris Sibylle Interpretes Haruspicesque monuerant,*  
*Interprete eodem de Nat. Deor. L. III. c. II.* Et Chrysothomus  
 de Paulo: *Per hujus consilii rationem, idem ille, qui Galatis  
 comminatur fore, ut Christus eos qui circumciduntur, nihil  
 adjuvet, Timotheum tamen circumcidit. Propterea etiam  
 legi se aliquoties submittit, qui idem censet post fidem in  
 Christum detrimentum esse justitiam, qua ex lege est.* L. I. de  
 Sacerd. fol. 13. Neque alio fine, quam ut *prac. §. VII. ex eo-  
 dem locuti fuim⁹: Εἰς τὸ πολλὰς πόδας ἐν τοῖς ἀπόροις ἰυρεῖν,  
 ἔκ τ' ἀλημιμλείας ἐκαστοῦ θῶσσι ψυχῆς, exitum in imperiis inve-  
 niendi, & correctis animi vitiis evadendi.* Natura sane vi-  
 ris prudentibus hac in parte præit, quæ vitandi vacui cau-  
 sa corpora gravia, aquam, terram sæpe cogit ascendere,  
 aerein descendere contra naturam suam particularem,  
 ut servetur continuitas universi.

## XIII.

Hinc videmus etiam viros prudentes sæpe cesanti-  
 bus his finibus Turbamenta ejusmodi vel minus curas-  
 se, hisq; larvam detraxisse, vel alio sensu donata in fines  
 suos flexisse. Sic Pericles classem centum quinquaginta  
 navium educturus, cum objecta Eclipsi Solis magna  
 terror incederet omnes, Gubernatoris itidem trepidi ac  
 stupentis oculis chlamydem objecit, *secūmque interroga-*



*vit, primum quid horrendi id esset aut portenderet gravius? Ab-*  
*nuente eò, quid autem, inquit, inter hoc & illud interest, nisi*  
*quatenus illud quod caliginem indexit, cblamydeas grandinus.*  
 Plutarch. in Pericl. Et Agathocles cuius adhortatio-  
 nibus animi militum erecti fuerant, sed terribi porren-  
 ti visione quod navigantibus eis sol defecerat, ejus rei  
 rationem non minori cura quam belli reddebat, af-  
 firmans, si priusquam profiscerentur factum esset, credi ad-  
 versus profecturos prodigium esse, nunc quia egressis accide-  
 rit, illis ad quos eatur portendere. Porro defectus natura-  
 tium siderum semper presentem rerum statum mutare, cer-  
 tumque esse florentibus Carthaginensium opibus, adversis-  
 que rebus suis commutationem significari. Sic consolatris mi-  
 tribus universas naves, consentiente exercitu, incendi ju-  
 bet. & c. Just L. XXII. Nemo vero cordatius idem peregit,  
 ingruensque periculum declinavit, quam Alexander  
 M. cum militis ob Lunæ defectum in seditiones propen-  
 derent apud Curtium L. IV. c. X. quæ verba cum aliis  
 quoque locis hinc inde à nobis propositis lucem addant  
 integrâ serie subjungenda duximus. *Prima ferè vigilia*  
*Luna deficiens primum nitorem sideris sui condidit, deinde*  
*sanguinis colore suffuso lumen omne fœdavit sollicitisque sub*  
*ipsam tanti discriminis causam ingens religio, & ex eâ*  
*formido quædam incussa est: Diis inuitis in ultimas ter-*  
*ras trahi se querebantur. Jamque pro seditione res erat;*  
*quum ad omnia interritus, Duces Principesque militum fre-*  
*quentes adesse pratorio, Egyptiosque nates, quos cæli ac sylla-*  
*rum peritissimos esse credebat, quid sentirent, expromere jubet.*  
 At illi qui satis scirent, temporum orbis implere destinatas  
 vices, Lunamque deficere, quum aut terram subiret, aut so-  
 le premeretur: Rationem quidem ipsis perceptam non  
 edocent Vulgus; cæterum adfirmant; Solem Græcorum,

Lariani esse Persarum, quous illa deficiat ruinam stragemque illis gentibus portendi. *Veteraque exempla persensens Persalis Regum, quos adversis Diis pugnasse, Luna ostendisset defecto.* Igitur edita in vulgus Aegyptiorum responsa rursus ad spem & fiduciam crexere torpentes: *Rexque impetu animorum utendum ratus, secunda vigilia castra movet.* Hæc *Curtius*. Romanos quoque ita auspicia interpretari solitos fuisse, ut ad illorum institutum atque voluntatem accommodarentur, ex *Cicerone* præcipue constat *Divin. L. II.* Adde *Machiav.* in *Liv. L. I. c. XIV.* Ipsos Vates se superioribus hæc in re accommodasse & traxisse interpretationem prout placeret, exemplo Aristandri patuit, qui cum in ejusdem Alexandri consilio de Bello Scythis inferendo *Extæ visilia* fuisse significasset, eoque nomine à Rege objurgatus fuisset, paulò post reversus, significatisque Regis voluntati accommodatis, non alias lætiora exta vidisse se affirmavit ap. *Curt. L. VIII. c. VII.* Quibus omnibus pro Epiphonemate erit, quod Sextus Cæcilius ap. *A. Gellium* de Legibus dixit *L. XX. c. I.* *Non profecto ignoras, Legum oportunitas & medelis pro temporum moribus & pro Rerum publ. generibus, ac pro utilitatum presentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est fervaribus, mutari atque fieri, neque uno statu consistere: quin ut facies cæli & maris, ita rerum atque fortune tempestatibus variantur.*

## XIV.

Superest, ut necessitatem huiusmodi externarum specierum seu Rationum externâ specie moventium tractem, non quidem in Republ. Platonis aliqua extitutam: Nam quemadmodum alias dici solet de Bellis: Si omnes homines Christiani essent, & Christiane viverent, Bella nulla fore: ita hic quoque dicendum est, si omnes homines

C

perfe-

perfectionis satagerent, perfecteque viverent, nullis huiusmodi adminiculis opus futurum esset, Attamen, ut in antecedentibus claruit, ex hypothesi præsentis status humani inevitabilem: Quia enim hominum natura non patitur semper ex infinitis rerum rationibus regi, ad externa hæc confugiendum est, tanquam argumenta humani status futura, eoq; partem facientia illorum, quæ usu exigente & necessitatibus humanis ab hominibus recipi oportuit. Quod iterum verbis, *Chrysothomi illustrabimus L. I. de Sacerd. Ad unum aliquem profectus ex Medicis sciscitare, quemnam illi in modum laborantes morbo liberare soleant: certe ex iis audies meram nudamque artem ipsis non satis esse: sed & aliquoties ipsos impostura uti, cuius auxilio cum arte medica conjuncto agrotantes sanitati pristina restituant. Etenim dum hinc agrotantium morositas, hinc morbi difficultas, medicorum avorsatur consilium: tum coguntur illi fraudis atque impostura personam induere, ut, quod in scena fieri solet, in qua fidei omnibus & adumbratis loci plurimum est, rerum factorumque veritatem occultare possint.*

## XV.

Nec Deus etiam eas dedignatur inter homines, sed omnia fere providentiæ suæ opera paritur per ambages & circuitus fieri, ut aliud agi videri possit, aliud reverà agat, sicuti Josephi venditio in Ægyptum & sim: *Verulam. de Augm. Scient. L. II. c. XIII.* Ipsa adversa quoq; humano generi immittit, non ut ipsi male sit, sed ut homines ad officia sua ducantur. *Operibus, inquit, doloribus ac damnis exagitentur, ut verum colligant robur; Languent per inertiam saginata: Nec labore tantum, sed mole & ipso sui onere deficiunt. Non fert ullum idem illesa felicitas; At ubi asfidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per injurias ducit*

*cit, nec ulli malo cedit; Sed etiamsi ceciderit, de genu pugnat, Senec. de Provid. c. I. Cujusmodi plura inprimis seq. c. IV. adducentur: Hic vero satis erit ea verbis Doctissimi Theologi Franc. Junii roborari, quæ & ab aliis Theologis ad Q. ab instituto nostro non alienam; An Ratio status etiam inter Christianos locum habeat? annotata observavimus. Permissiois DEi, inquit, duo in Scripturis invenio genera: unum simplicis & absoluta, cum DEus permittit simpliciter id quod simpliciter, absolute & immediate penes ipsum est inhibere, ut quum Adamum permisit labi: Alterum ex hypothesi, quum DEus ratione humana temperat permissiones suas secundum hominum conditionem, quorum medio uti placet ad conservationem suæ justitiæ & stabilimentum ordinis publici: prout superior causa non aliter agit per inferiorem, quam secundum modum ipsius: quod justus ordo naturæ postulat, ut quum Israelitis permetteret jus vendendi, & inservitutem dedendi libero. *Divortio uxores ablegandi, & similia multa. Exod. XXI. v. 2. Deut. XXIV. v. 1. Sic enim Dominus Iesus interpretatus est dicendo, Moses pro duritia cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: caterum à principio non fuit ita Matth. XIX. v. 8. Quis enim dubitet omnipotentia Dei publicum istud malum momento curari potuisse, si voluntas ejus fuisset? Sed quia mediate suum opus Deus agebat, permissionem suam contemperavit ordini humano, quo mediante utitur sapientia sancta sine abnegatione justitiæ suæ: ut omnibus iis, qui tenent administrationis humane gubernacula, exhiberet vera prudentia moderationisque documentum. L. de Pecc. Prim. Adami. Quest. II. c. II. Tria verba tantum adjicimus de earundem usu in naturæ operibus: Nam & de his Verulamii observatum non spernendum est, Naturam citius falli quam premi. Nam quæ ex di-**

*recto sunt, inepta sunt, & se ipsa impediunt, cum contra vim obliqua & insinuans molliter fluat, & effectum sortitur.*

## XVI.

Hincque tanto facilius de Legalitate hujusmodi Turbamentorum seu externarum specierum judicari potest, idque vel ea de causa, quia Deo etiam non improbari demonstratum est: Non enim potest injustum esse, quod ipsò vel Autore vel non improbante fit, qui quoniam perfectissimus est, non potest non justas rationes agendi habere. Pro ulteriori demonstratione allegamus breviter, nec in actu ipso, nec in autore ejus, nec in patiente per se quicquam mali esse. Non in Actu ipso, nulla enim in eò est læsio, h. repugnantia cum jure alterius ap. *Grot. L. III. I. XI.* adeoque nec *invidia* quædam: Nam solius honestatis est neminem lædere. Nec in Agente, quia animum lædendi non habet, sed beneficiendi; Valebitque hic quod Seneca. alias dicit Ep. XCV. *Grammaticus non erubescit Solæcisismum, si sciens faciat.* Quo & referimus quod ap. *Averroem* habetur *1. Top. c. I.* de universo Argumentantium h. rationibus utentium officio. *Argumentantis officium est afferre, quod maxime valere possit ad propositum problema sustinendum, vel destruendum: Ut Medici officium est non semper sanare, sed nihil omittere ejus quod ipsi arti debetur, ut consultet morbo in omni re possibili.* Nec dn. in Patiente, cui majus bonum ita procuratur, præsumiturque, si recte conformato judicio esset, id ipsum quod agens intendit voliturus fuisse. Imo si qua etiam Juris alicujus in eo læsio esset, illa oppositione Juris alterius, quod communi omnium judicio multo plus valet, tollitur: Neque aliter se habet, quam si quis ex præsumpta Domini voluntate rem ipsius exiguan consumit, ut inde magnam ei utilitatem paret; Id enim

enim furum non est, & Dominus, si sciret, hanc libertatem non ægrè laturus, sed gratias potius eo nomine acturus esset. *Grot. c. l. §. XIV.* De nomine nostro tamen adhuc dubii quid moveri potest, annon alieni quid à virtute contineat. Sed si furta quædam innoxia sunt, Furta Verborum & Cordis etiam aliquando sine culpa erunt; Et Jacob furatus fuit Cor Labani, nec tamen idè peccavit, Deo auctore enim clam ipso discesserat. Sic datur salubre mendacium, fraus pia, dolus bonus, simulatio honesta, omnia nomine peccata, re ipsa innoxia, quia sine læsione sunt, imo laudabilia, quia majus bonum procurant. Turbamenta igitur etiam illecebras, argutias, sine vitio concipere licebit.

## XVII.

Illud dn. in cumulum addimus, licet substantiam, propositi nostri non tangens, ipsas Leges humanas Externa tantopere defendere ut Juri externo locum dent, licet Jus internum vel deficiat, vel contrarium quoque extra judicium salva pietate fieri possit; Idque ex eodem fine, quem nostris assignavimus, procurandi nempe majoris boni aut evitandi majoris mali causa. Sic qui bello injusto capti sunt, aut ex captivis nati, vindicanti domino reddendi sunt, non quod captivitas illa animo Religionis vinculum injiciat, sed quia hoc dominium in judicio humano, & quidem coactivò ob evitandum majus malum valet. *Grot. III. VII. 6.* Similiter Testamenta nulla sunt ob deliquium solennitatum, quas jura civilia præscribunt. Et tamen probabilior sententia est, etiam quod tali testamento relictum, retineri salva pietate posse, quam diu ei non contradicitur ap. *Grot. eod. l.* In forma judiciorum quoque sententiam oportet non ex conscientia Judicis, sed ex præscripto Actorum formari, licet

**21 CAPUT I. GENERALIA DE TURBAMENTIS VULGI.**  
 sententia jure interno injusta esse possit, ob majorum scilicet  
 malorum metum, ne Judices conscientiam ex male forma-  
 mata scientia aut affectibus æstiment, eoq; innocentes  
 crebrius opprimant. Nec reis etiam licet se opponere,  
 licet injuste damnati sint, nam si semel & uni id liceret,  
 ab omnibus id æque fieri posset, unde confusio & inte-  
 ritus omnium judiciorum. Quo respexit celebris ille  
 Anglorum Martyr Wilhelmus Laudus in sermone va-  
 ledictorio, quo proxime ante supplicium in pegmate fe-  
 rali sibi ipsi parentavit: Dixit enim se innocenter qui-  
 dem pati, nec tamen accusare Judices suos, quippe qui  
 ex præscripto & secundum allegata & probata judi-  
 caverint. Ich gebe meinen Richtern nicht die gering-  
 ste Schuld / dann sie gemäß ihrer Information und ihren  
 Beweis verfahren müssen/ und auff diese Weise ich oder ein  
 ander Unschuldiger mag mit Recht condemniret werden.  
 Idemque est; quod Arist. Soph. II. c. V. ait: ἄρα δικαίον τῷ  
 αὐτῷ ἔχειν ἕκαστον, ἀδ' ἀν τις κρινοίη καὶ δόξαν τῆν ἑαυτοῦ, ἀν' ἣ  
 ψευδῆ κριθεὶ ἐστὶν ἐκ τῶ νόμου. Τὸ αὐτὸ αὖθις ἑκαστον καὶ εὐδικαίον, li.  
 Interprete Nicolao Gruchio (nam interpretatio quæ ap.  
 Grot. c. l. habetur obscurior & meliori parte mutilata  
 est.) Nonne æquum est sua quemque habere? Quæ vero tibi  
 adjudicata sunt falso judicio, sed tamen ut putavit judex esse  
 æquisimum, ea legibus esse rata debent. Justum nempe,  
 est, quia sententia talis in Judicio humano coactivo vi-  
 tandi majoris mali causa valet, nec contra eam humana  
 remedia dantur. Injustum jure interno, neque enim reus  
 ideo, licet condemnatus sit, in conscientia se convictum  
 esse agnoscere tenetur: Quare & Aristoteles cum di-  
 ctum hoc inter paralogismos eorum, qui partim simpli-  
 citer, partim secundum quid capi debent retulisset, ei-  
 dem respondet; *Sua quemque habere æquum est, aliena ini-*  
*quum:*

quum: Et tamen iudicium hoc iustum esse nihil prohibet; mirum quia ut equissimum esse existimavit Iudex, ita iudicavit: neque enim oportet, si quid quod ad hanc quidem rem attinet, aut hoc modo iustum est, omnino esse iustum.

## Cap. II.

DE

# TURBAMENTIS NATURALIBUS.

- |  |   |
|--|---|
| <p>I. Eclipsium Solis ac Lune usus in persuasionibus: Hannibalis, Macedonum Consternatio; Drusi, Columbi prudentia.</p> <p>II. Tonitru ac Fulguris terrores: Aliquando prudenter declinati; Non tamen temere spernendi. Primus usus Pulveris Pyrii in Latronibus ab infami vitæ genere abducendis: Americanorum de ejusdem fragore iudicia.</p> <p>III. Cometarum consideratio. Lu-<br/>biemetzii Theatrum Cometi-</p> | <p>cum: Cum Cælestibus verendum de agendum esse.</p> <p>IV. Alia passim prodigia à Fulgo assumpta, à Cicero derisa, à Romanis tamen utiliter retenta.</p> <p>V. Ductus Serpentina in Falvia Arborum A. 1680.</p> <p>VI. Exercitus Locustarum A. 1681. Husi de iis Vaticinium.</p> <p>VII. Quid de Terra Farinacea hoc Anno passim detecta &amp; in cibum versa?</p> |
|--|---|
- I.

**H**Actenus in Generalibus Turbamentorum Vulgi versati fuimus: In speciali eorundem enarratione nihil aliud exhibebimus, quam varios modos, quibus viri prudentes usi fuerunt ad fines suos obtinendos: qui cum argumentis à Naturâ, Civilibus & Sacris



Sacris petitis plerumq; usi fuerint, Nos totidem membra partitionis nostræ faciem9, in singulis visuri, quam artificiose Ingenia Humana sibi consuluerint, cunctaq; in fines suos flexerint, quo jure etiã subinde id facere potuerint. Initiũ faciem9 à Naturalib9, & quomodo Homines, dum naturæ opera minus solita spectarunt, opinione virtutis cujusdam sublimioris percussis ad quidvis moveri se passis fuerint exponem9: Primumq; locum dabim9 magnorum illorum Siderum Solis, Lunæque Eclipsibus, quas Hominum animos varie movisse sæpeque rebus præclare gerendis occasionem præbuisse, & in utilitatem publicam viris egregiis inservisse, veteres ac recentes historiz produnt. Non tamen ex Plinii ratione, *quod defectum fiderrum paveant & quadrupes* L. IIX. c. LIV. Nam Bruta timete possunt, quod ab hominibus timendum non est, quia ratione nõ sunt prædita: Unde & fuit, cum viri egregii Eclipses tales minus attenderint. Vid. *præc. I. §. XIIII*. Terruit interim Eclipsis Solis Carthaginenses ipsamque Hannibalem, instante cum Scipione prælio, ipsisque tot victoriarum per Italiam fructus abstulit. *Οι Καρχηδόνοι καταπεπληγμένοι, & δειστρος & ὅτι ὁ ἥλιος σύμπας ἐξέλειπε.* *Ἐκ γὰρ τῶν ἄλλων & ἴστω ἐκ αἰσθόνη προμηνύειν σφίσιν ὁ ἀντίβας ὑπὸ πῆλυσεν. Ζοναρ. Τ. II.* In Luna idem Bello Macedonico Romanorum cum Perseo ultimò Macedoniorum Rege contigit, quæ cum instante prælio *totalem Eclipsin præteretur, Macedonum castra horror stuporque tenuit, rumorq; sensim per castra vulgatus, portendere hoc Regni occasum*: Plutarch. in Paul. Æmil. fol. 164. unde facilis Romanorum victoria, Macedonibus exemplo suo ostendentibus, militem pugnare periculosius cum terrore, quam cum hoste, de quo Vid. *Henr. Farnes. Diphtera Jovis* L. III. *Elog. XXI.* Idem rebellionem Romanarum Legionum in Germania

mania mitigavit, Drusumque à Tiberio ad eas missum periculo exemit; Cum enim Luna claro repente coelo videretur langvescere tandemque nubibus tegi, miles rationis ignarus id omen præsentium accipere crederet; æternum eo sibi laborem portendi & sua facinora averfari DEOS, lamentari; *Quà inclinatione utendum Casar, quæ casus obtulerat in Sapientiam vertenda ratus circumire tentoria jubet: Accititur centurio Clemens & si alii bonis artibus grati in vulgus, in vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. Tacit. lib. I. Annal. c. XXVIII.* Nec minori necessitate, at majori scientia constitit Christophori Columbi consilium, qui cum alias fame periturus fuisset, prædicta simplicibus Americanis Lunæ Eclipsi, ab his impetravit, quodcumque desideraverat: *Fortè enim in propinquo tugurium Barbarorum erat, inde Columbus Indos foras evocans monet ac prænunciat, ipsos, quod vitæ subsidia sibi ac suis non suppeditarent, peste à DEO cælitus missa brevi omnes perituros; Cujus rei id habituros signi, quod duas intra dies Lunam sanguine, fœdatam visuri essent; Id cum eadem die & horâ, quâ Admirans prædixerat, conspicerentur Indi (Lunæ autem defectus id erat) subito victi formidine, quæcumque ei ad victum necessaria erant, quoad in eâ insulâ mansit benigne præbuere, insuper culpa veniam orantes, ne ipsis irasci pergeret: Hieron. Bezron. Nov. Orb. Hist. L. I. c. XIV. & ex eo Bodin. de Republ. Lib. V. fol. 798.*

## II.

Tonitru & Fulgure Homines terreri nullo monitu eget: Exempla singularia Vid. ap. *Zwving, Th. vol. I. f. 94.* Aliquando tamen & benigniori Interpretatione excepta fuerunt: Ut Chabrias Atheniensis classe dimicaturus, cum excusso ante Navem ipsius Fulmine milites exterrerentur:

D

ur:

tur: *Nunc inquit, potissimum incunda pugna est, cum Deorum maximus Jupiter adesse Numen Classe nostra ostendit.* Frontin. L. I. c. XI. Majus est, quod apud Xenophontem legere est *Hellen. L. VII.* ubi cum Archidamus copias suas compellasset, ac interim cœlo sereno fulgur ac tonitru auditum fuisset, tantum ardoris audaciaque militibus injectum fuit, ut Ducibus esset difficile cobibere milites, quin in hostem prouerent. Plur. vid. ap. Zwinger. Th. vol. VII. f. 1796. *Lat. Bisiola Hor. Subsec. L. II. c. VII.* At Tonitru æmulus ille fragor Pulveris Pyrii Latrones aliquando ab infami vitæ genere avocavit, hocque primum officium fuit, quo celebris ille Bartholdus Schwartz ipsum Generi humano commendavit. *Erat tunc temporis in loco vicino Gostaria silva ingens latronibus infamis, qui ibidem in certis locis stationem suam perfuerant in omnem atrocitatis patranda occasione peropportuna. Consultabatur eodem tempore ob violentas rapinas & homicidiorum multitudinem à Magistratu Goslariensi, quomodo hac sceleratorum hominum pestis profligari posset, neque modus inueniebatur. Bartholdus eâ de re certior factus Magistratum adiens, se Latrones facili negotio exterminaturum pollicitus est, si beneficii prestita memores, se haud ingratos & sibi & Ordini suo præberent. Sponsione facta Bartholdus ferreis ollis compluribus confectis, quas jam sibi cognita materia implevit, una additis & lapidibus & sarmentis non exigua copia, simulatusque unum se ex latronibus confederatis iis sese adjunxit. Postquam igitur stationes solitas probe observasset, in eorum absentia in terram defodit dictas paulè ante alias, famite solummodo relicta accensioni sua tempore apto. His omnibus argute constitutis, ubi ad cœnam confluxissent & jam præda acquisita indulgentius gauderent, tunc ecce accensa machina ignem, fumum, Lapidesque tante cum horrore canantium*

tium

itum fecit, ut ultimi iudicii diem vicinam esse sibi persuaderent. Relicto itaq, loco ceu inferni voragine ad aliam stationem se contulerunt: ubi accensa machina similem fortunam jactum repererunt, Bartholdo interim exhortante eos, ut relicta perversa ac scelerata vita semita ad DEum per poenitentiam se converterent: DEum enim iratum esse eorum sceleribus & terram jam dispositam, ut omnes sicut Core & Abiram absorberet: Relicta itaq, silva omnes ad propria, timore DEI percussi, abierunt. Bartholdus autem re praclarè peractà cum successu & hujus artificii beneficio expugnata, jam silva, ad Magistratum reversus, qua pollicitus erat, se jam confecisse agebat. Kirch. Mund. Subt. L. XII. Sect. V. Part. IV. init. Simili persuasione Americani postea fragorem istum in divinitatis in Hispanis argumento habuerunt, & ubi excussorum tormentorum tonitrus, fumosum ac sulphureum odoremq, ignitum senserunt, à DEo mitti fulmina arbitrati sunt. Petrus Martyr. de Insul. nuper inventis pag. 550. seu cientem Tonitrus in nubibus gentem è caelo in terras descendisse. Hier. Benzon. Descr. Amer. c. XIII. Mexicani sequiorem tantum interpretationem addidere, ipsos DEos quidem, at peregrinos & hostiles esse interitusque sui causa adventantes. Vid. Aut. des Discurs von Eigenschafft des Niederländischen Indien. ed. Phil. Zieglero. fol. 420. Aliiquoque hinc Filios Solis esse crediderunt, quæ opinio effecit, ut Centurionem Hispanicum in Occidentali Regni Mexicani Provincia Principem sibi constituerent. Vid. iterum Benzon. c. l. p. IV. Descr. Amer. Theodori de Bry. Sed hæc sicuti verè argumenta ad homines, adeoque Turbamenta Vulgi sunt, ita de vero Tonitru Fulminibusque paulam aliter philosophandum esse censemus: Neque temere assumendum, quod Cicero objicit de Divin. L. II. c. XIX. Si ista Jupiter

significaret, tam multa frustra fulmina emitteret: quid enim proficit, cum in medium mare fulmen jacit; Quid cum in altissimos montes, quod plerumque fit? Prudentum enim est fortuita hujusmodi ab extraordinariis discernere. Ac Americani simplices quidem, ut iterum eorū historia utamur, Tonitrus fragore terrii eaqve occasione à Christianis moniti, Tonitru hujus autorem DEUM illum esse, de quo dixissent, qui ut suam indicaret potentiam cœlum, terramqve eò modò concuteret, nimis inepte responderunt, DEUM illum, à quo adeo terrentur, malum esse oportere. Vid. *Johann. Lerium hist. Navig. in Brasili*, Christiano tamen pie agnoscendum est, DEUM tonitru sæpe signatum præsentis tum futuræ iræ suæ edere; *Vox Domini super Aquas, DEUS Majestatis intonuit*, inquit Regius Pfalter Ps. XXI. 3. *Et ab increpatione tua fugient montes, à Voce Tonitru tui formidabunt*. Idem Psal. CIV. 7. Exempla Vid. *Exod. IX. 23. & seqq. I. Sam. VII. 10*. Neq; ex hominum memoria facile effluet tremendus ille fragor, qui A. MDCLXX. ad verba Sacri Ministri in Templo majori Stralsundensi de DEO prolata, QUID AMPLIUS FACIT, auditus fuit, nobilioremq; partem templi concussit. Vid. *Diar. Europ. Cont. XXI. ad A. MDCLXX. f. 463*. Nec sufficit Periculis ratiocinium, quò militibus suis incussum ex Fulmine terrorem eximere conatus, lapides duos in conspectu omnium collisit, Ignemqve excussit, addito, similiter Fulmen excuti attritu nubium ap. *Polyb. L. III*. Nam licet hujusmodi effecta naturalia sint, ex causis naturalibus etiam orta, non ideò tamen definiuntur signa esse: Sicut Iris res merè naturalis est, nec tamen ideò reuit signum gratiæ divinæ autore ipso. DEO fieri. *Genes. IX.*

## III.

Movemur hæc ratione, ut *Cometarum* quoque mentionem

tionem faciamus, qui si ad *Turbamenta Vulgi* hinc inde referri cœperunt, eos tamen sublimius quid præferre cum Vulgo quidem, sed non ideo minus verè autumabimus. Nam licet non repugnemus pro Stellis veris & una cum alijs ab initio mundi creatis haberi posse, eosdem stato tempore ex supremis cœli partibus chorog; stellarum aliàs nobis inconspicuarum demitti, apparitionem eorum prædici, motus quoque describi posse, quæ omnia viri docti de Comētis A. MDLXV. & MDCLXXX. seu diversi illi fuerint seu unus, non improbabili-ter asseruerunt: Non putamus tamen, ideo cessare Iræ Divinæ signa esse; quia quod naturale est, ideo signum esse non desinit. Nec ignoti nobis sunt contrarii conatus diligentissimi viri *Stanisloj Lubienietzii* in elegantî Opere, quod *Theatrum Cometicum* vocat, nec litemeo nomine vel ipsi, vel cuiquam movebimus, veremur tamen & hic curiosus Lector inventurus sit, quæ moneat, non paucis eximæ istius molis partibus incommodatura. *Quæ I. Quod signa cum causis, signata cum effectis confundi non oporteat*: Nam Cometa, si signa sunt malorum futurorum, non ideo tamen causæ existunt. *II. Quod bona æque ac mala Cometas secuta esse operose quidem demonstrantur, sed bona malave generis humani, seu rei humanæ & insignis alicujus populi cum bonis ac malis particularibus populi injusti aut familiæ alicujus confundantur.* *III. Quod non necessarium sit, Cometas omnium futurorum malorum nuncios esse*: Nam præmonere Homines futurorum Divinæ Bonitatis quidem, non tamen necessitatis est, nec ulli signorum generi alligatæ. *IV. Nec argumenta duci posse ab ignorantia vel errore Interpretationis ad eandem negandam, Signa ostenduntur à Diis rerum futurarum: In his, si quæ*

*erraverunt, non DEorum natura, sed hominum conjectura; erravit: Cicero de Nat. Deor. L. II. c. IV. Nos certe non audemus septa omnium seculorum transfilire, aut communi hominum sensui nos opponere in re, cujus naturam nec ratio naturalis nec S. Scriptura nobis demonstrat, locumque omnino damus insigni Senecæ monito, Christiano tamen sensu donando: Si intramus Tempia compositi, si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestia fingimur: Quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de DEorum natura disputamus, ne quid temero, ne quid impudenter aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur. Nat. Qu. L. VII c. XXX. Interim cogitamus ad aspectum ipsorum, quod Ludovicus Pius (non Carolus M. ut Lubienietzius ex Ecstormio refert, eiqve totam historiam suam perperam applicat) Astronomo, qui postea vitam ejus descripsit nomine tamen ignotus, viso Cometa respondit: Non alium, inquit, timere debemus, nisi illum, qui nostri & hujus Creator est fideris, sed ejus clementiam laudare tenemur, qui nostram inertiam, cum peccatores simus, talibus admonere dignatur iudiciis: Quia ergo & me & omnes tangit communiter hoc ostentum, omnes pro posse & sapere ad meliora festinemus, ne forse misericordiam illo prorogante & nostra imperitidine impediante, nos illa inveniamur indigni. Sic scribit idem ille Anonymus in vita Ludov. Pii Cap. XVII. ad A. DCCCXXXIX. Et ex eò Fasciculus Temporis in eodem, quem Lubienietzii Theatrum itidem pro Carolo citat, cum diserte ibi Ludovico attribuat. Sed ejusmodi ~~propopuatus~~ Historica plura in eodem non difficile esset enotari, si proposito nostro id congrueret.*

## IV.

Jamque eodem modo uniuersa Prodigia, Ostenta-  
 que Aerea, Terrestria, Aquea induci possent; Nam ad  
 innumera hujusmodi prodenda Scriptores, & ad acci-  
 pienda imperitum Vulgus blandiente mendacio pasfim  
 inclinat. Paul. *Æmil. Histor. Gall. L. I.* Immo sanas etiam  
 mentes perturbare consueverunt: Quod iudicium est for-  
 uis in narratione de *Maximil. Sfortia*, quem curis sele-  
 Regi Gallie dedendi implicitum prodigia paucis ante-  
 diebus nunciata terruerant, qualia quod apud *Gambalot-*  
*tam vicum meridiano tempore duo equites in aere humanis*  
*maiores esse se inter se concurrere visi, victoremq; eum, qui à*  
*Gallia regione venisse videbantur, alterum continuo proflig-*  
*asse, frequentes agricola confirmabant. Hist. L. XV.* Ac  
 licet nō omni ex parte falsa aut promiscue rejicienda sint,  
 negari tamen non potest in periculo plura & maiora videri  
 timentibus, credi quoq; facilius, imponiusq; fingi, ut  
 Cicero *ad Diuin. L. II. c. XXVII.* A quo & pleraq; eade  
 causa derisui habita: Ut Spectacula Aerea: *Quid est inquit,*  
*in nubibus nunquam animadvertisti Leonis formam aut Hip-*  
*pocentauri? Patescit igitur veritatem casus imitari. Di-*  
*uin. L. II. c. XXI.* Monstra: *An verò illa nos terrent, aut ue-*  
*rum, si quando aliqua portentosa aut ex pecude, aut ex ho-*  
*mine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una*  
*ratio, quicquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat*  
*à natura necesse: ut etiamsi præter consuetudinem extiterit,*  
*præter naturam tamen non possit existere. Ib. c. XXXIX.* O-  
 mina: *Dionysii equus quid attulit admirationis, quod*  
*emersit ex flumine? quodq; habuit apes in iuba? sed quia*  
*brevi tempore regnare cepit, quod occiderat casu, vim habuit*  
*ostenti. Ibid. c. XXXI.* Quasmodi plurima alia is-  
 dem locis exagitat, & tamen paulo post fatetur, erratum  
 quidem



quidem in hisce talibus fuisse, retineri autem nihilominus  
 & ad vulgi opinionem & ad magnas utilitates, de qua re  
 jam dictum e. I. S. XII. Conf. seq. c. IV. §. VI.

Sed quoniam exempla potius, quam justos indices  
 meditamur rerum numero maximarum, speramus nos à  
 copiosiori relatione excusatum iri, maxime quod res eo-  
 dem semper recidat, videl. nullos non ejusmodi insolito-  
 rum naturæ operum castis homines in sapientiam vertis-  
 se, usuique suo ad persuadenda ut perficienda consilia  
 sua accommodasse. Faciendum tamen omnino duxi-  
 mus, ut pauca quædam ex iis adjiceremus, quæ recentis-  
 sime ante oculos interque pedes nostros obvia fue-  
 runt, & hominibus varias metus speique opinionès ex-  
 citarunt. Tales namque extiterunt *Ductas Serpentina*, qui  
 A. MDCLXXX. copiose in foliis arborum, maxime ce-  
 raforum, in Saxonia & Marchia reperiebantur, spectacu-  
 lo forsan non insolito, quemadmodum & sequentibus  
 annis iidem non-raro inventi fuerunt, sed quia tempo-  
 ra priora securius transacta fuerant, non observato; Il-  
 lo autem Anno curatius animadvertentur, plures et-  
 iam & majores videbantur, impuniusque fingebantur,  
 ut Ciceronem modo loquentem audivimus, quia in-  
 metu & periculo contagionis ob pestem hinc inde gras-  
 santem homines his in locis versabantur, eoque ex signa-  
 tura Vermis venenati similia sibi ominabantur: Cum in-  
 terea ductus illi nihil aliud essent, quam opus *Ericæ* cu-  
 jusdam minoris, quæ perrependo folia, eorum corticem  
 exteriorem depaverat; Id quod illis jam temporibus  
 Excell. Dn. Præses singularibus aliquot paginis vernacule  
 scriptis prolixius demonstravit.

## VI.

Anno MDCLXXXI. iri isti exercitus Locustarum vere rationes Silesiæ & Marchiæ quarundam partium conturbabant, frumenti proventu tristem in modum passim absumpto; Neque defuit etiam tunc effectus ille, externus, quem calamitates in hominibus excitare solere. *Cap. I. §. XV.* innuimus, ut homines hinc stimulum caperent ad DEi cultum ardentius tractandum. Nihilominus in prælagium adhuc futurorum malorum vulgo accepti fuerunt, tanquam non satis mali esset, per in-festa hæc animalia integros tractus coetusque hominum beneficio communis matris exui & ad pauperiem redigi. Sed merū opus Naturæ illi fuere & fructo intensioris Carolis Anni LXXIIX. quemadmodum & cū nullō amplius humano remedio tolli posse viderentur, contraria frigidiuscula, Aura M. Junio & Julio A. LXXXII. maximam partem eorum sustulit, hominesque magno metu liberatos una docuit, quam facile DEo sit vel minimo nutu finem calamitatibus maximis imponere. Neque dubitamus interim memoriæ posteritatis commendatum iri irvasionem istam hostilem Turcicam hinc secutam; Cujusmodi quid & à majoribus nostris in simili casu Locustarum Anni MDXLIII. observatum. Veremur tamen, ne & hic Ciceronis iudicium locum habiturum sit, *quod casu acciderat, vim habuisse ostent.* *Divin. L. II. c. XXXI.* Aut si quid omnino ominis ex hac publica calamitate capiendum fuit, exemplo Sanctissimi Martyris Husi, majori forte jure dicemus, augmenta Regni Pontificii & detrimenta Evangelicæ Religionis hinc prædici potuisse, cujusmodi quanta in Gallia passa sit Ecclesia, nemini ignotum est; Sic enim Hussus de Prodigio Locustarum paulum ante sua tempora, viso: *Si*

E

mibi

*mihi ex sensu meo aliquid dicere permittatur, istas nocentissimas Locustas coronatas, id est multitudinem hypocritarum, esse cathedram & autoritatem obtinentium in ordine Clericorum & Sacerdotum, sive in statu Religionum, seu in Regimine Secularium Principum & Dominorum, quos omnes hic per Locustas intelligo coronatas; Ego opinor convenienter & proprie per Dominum Jesum easdem designatas per Prodigium Locustarum (secundum historiam) quod factum atque visum est in Anno Domini 1295, vel prope, ubi Locusta de abyssis terra ab oriente subito eruperunt: & tam condensata totum aërem per totam Bohemiam & Moraviam atque Poloniam repleverunt, ut totaliter solem obducerent & terram tenebris obvoluerent, veluti sacco cilicino. Qua tantum horrorem hominibus incusserunt, ut arescerent pratimore, diem extremum iudicii instare existimantes. Qua Locusta omnia in campis & Silvis vorando funditus devastabant, & fragor volatus earum, seu alarum volatus fuit talis, quasi sonitus aquarum multarum, vel quasi sonitus multitudinis castrorum ad bellum concurrentium, Erantque multum generativa & fecundiores multo aliis locustis, sicut describit eas Carolus Serenisus, Rex Bohemie in Sua Chronica; sed adhuc hodie etiam valde multi videntur, qui easdem Locustas viderunt, & omnia quae hic dicuntur narraverunt, Libr. de Regno Pap. & Mor. Antichristi c. XXIII.*

## VII.

Denique & verbo tangendum duximus, quod ipso tempore quo hæc scribimus publice circumferri coepit hominumque animos varie affecit, dubium tamen utrum Turbamenti an Sublevamenti Populi nomine appellandum. Est illud Farina ista seu Pulvis Farinaceus in presenti futurae caritatis famisque metu hinc inde se exerens, quem & vulgo ordinariæ farinae loco admiscere & in cibum ver-

tere

tere non infelici successu coeperunt. De cuius veritate quo minus dubitemus parallela superiorum Annorum efficiunt. Nam A. MDCXXIII. æstu ac siccitate præfenti Anno LXXXIV. prorsus pari, similem farinam juxta oppidum Alsatia Oberburckheim inventam & à pauperibusin cibum versam Historici istorum temporum referant, è quibus producimus *Johan. Grassium Ecclesiastem. Basiliensem, in Kurzer Basler Chronick ad dictum Annū fin. Libri. In diesem Monat September/ hat man gen Basel bracht wunderlich Brodt und Mehl/ davon ich gesehen und auch versucht / welches Mehl bey dem Städtchen Oberburckheim im Elsaß im freyen Felde in großer Menge gefunden wird / und aus der Erde hervor quillet / daß es von den Leuten auffgefangen und gebacken wird. Ist ein liebliches und woltschmeckendes Brodt/ dem Eyerbrodt gleich. Man bereitet auch den jungen Kindlein Pappē und Mus darauf. Ist wol ein Wunderwerck Gottes / welcher vorzeiten Wasser gegeben aus harten Felsen/ der giebet igunder Brodt den Armen auß der durren Erde. fol. 220.* Eiusdem meminit *Lundorpius in Relat. Vern. A. XXIV. fol. 23.* Similiq; solamine ante Annos XL. & quod excurrit Ruricolos in vicinia hæc perfusos fuisse accepimus, terra ejusdem naturæ & qualitatē ad pagum Ratschdorff effossa & prævia lotionē nonnulla in cibum versa, ut proinde de hodierno successu minime dubitandum sit. De ratione vero ita nobis videtur; Ipsam quidem vim alendi habere posse; Sed primo per accidens, dum farinae veræ aut aliis edulibus admixta ea dislocat, eoq; ad nutritionem aptiora reddit. Secundo, si quam per se habeat, eam habere, non quia farina est, sed ob nitri cujusdam præsentiam, cujus virtutem sustentandi & refocillandi spiritus nemo ignorat; In substantia vero non plus alimenti esse quam

in fursure, fungis porosus aut aliis rebus esui minus aptis, in famis necessitate vero adhibitis, ventrem distinendi potius quam placandi & spiritus qualitercunq; sustentandi causa. Dixerisq; proinde hic quod de pane suo lapidoso Seneca, *quem esurienti accipere necessum, sit, esse acerbum*, de Benef. L. II. c. VII. Hinc etiam tenuioris fortunæ hominibus, adeoq; subtiliori nutrimento haut adfvetis prodesse dicitur, divitibus neutiquam, non quod extraordinario quodam miraculo hos refugiat, sed quod nihil alimenti ipsis conferre possit, ob consuetudinem meliorum : Nec tenuioribus quoq; cum progressu temporis inservit, spiritus enim licet aliquandiu conservari possint, nihilominus aliquo augmento tandem egent, quo quicquid eorum absumitur, accessu novorum instauratur. Quod cum terra talis aut alii hujusmodi cibi præstare non possint, hinc sensim elangvescunt, hominesq; tandem emacerantur, ac consumuntur.

### Cap. III.

DE

## TURBAMENTIS CIVILIBUS.

- |   |   |
|---|---|
| <p>I. Summa mediorum, quibus Augustinus Rome insurrexit.</p> <p>II. Vis Donativorum in Militia;</p> <p>III. Congiariorum in Populo: Resuscitantium exemplum.</p> <p>IV. Illicebra puerilis ætatis perniciosa. Gregoriana Germa-</p> | <p>nicorum Populorum, Quinque-<br/>tria Romanorum, Ramalia Hø-<br/>meri.</p> <p>V. Quid de Muneribus Sancti<br/>Christi sentiendum? Item de<br/>Muneribus S. Nicolai.</p> <p>VI. Fen-</p> |
|---|---|

VI. Frumentationes, *Epula Augusti, aliorumq; Principum.*

VII. Voluptatum, Ludorum Illecebræ; à *Diocletiano sprete.*

VIII. Popularitas Principū, Comilitonum Nomen à *Julio Cesare aliisve usurpatum, ab Augusto neglectum: Excessus Popularitatis.*

IX. Impunitatis fiducia *Hominibus oblata. Davidis factū 1. Sam. 22. 2.*

X. Magnitudinis ostentatio *varia Pompe Imperatorum Romanorum.*

XI. Prudentia, & *Commentis debellare hostem.*

XII. Incitamenta ex *Commisseratione: Constantii Filie, Aero-pi, Godofredi in Gunis exempla.*

## I.

**P**rogedimur ad *Turbamenta Civilia*, h. ex rebus civilibus deprompta & in iisdem usurpata Externa, stabiliendis hominum utilitatibus, de quibus iisdem præfandum est, ea varietate & numero tanta esse, ut vix volumine comprehendi queant: Unde & hic quæ proferimus pro exemplis potius quam justo complexu rei tam amplæ habenda erunt. Et veluti magnam partem hujusmodi *Turbamentorum* in Vita Civili Toga-ta tanquam compendio continet, quod *Tacitus* supra de *Ottone* dixit *Histor. I. 23.* alias verò de *Augusto* refert: Ipsum *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexisse*, sicque nullo adversante insurrexisse *Annal. I. 2.* Ita iisdem vestigiis insistemus & quomodo homines his adjumentis artibusque usi fuerint, videbimus.

## II.

Dona itaq; & Munera primo erunt *Turbamenta* seu Illecebræ *Vulgi*. Nam si verum est, quod *Siracides* dicit *c. XX. 31. Dana excæcare sapientes & frenorum instar in ore, ipforū esse;* Verisimum erit, *Vulgum* quoque iis capi posse.

*Donæ* vero in specie hic vocat Tacitus, quæ Militibus erogabantur, more Romano, quo quæ his dabantur *Donæ, Donativa*, quæ Populo, *Congiaria* vocabantur. Sensit eorum necessitatem jam ante Augustum Julius Cæsar, ideo *altiora jam meditans & spei plenus nullum largitionis aut officiorum in quæquam genus publice privatimq; omisit*; Sveton. Cæs. c. XXVI. *Idemque Legionibus stipendium in perpetuum duplicavit.* Ibid. Post Augustum Claudius promisit *singulis militibus quindena sesterrium, primus fidei militis etiam premio pignoratus.* Sveton. Claud. c. X. Otto iisdem animos militum adversus Galbam corripit, & quoties Galba apud ipsum epularetur, Cohorti excubias agenti, *viritem centenos Numos* dividi curavit, *quam velut publicam largitionem Secretioribus apud singulos præmiis intendebat.* Tacit. Hist. I. XXIV. Vitellius tanti fecit hoc debitum, *ut conscius sibi instare Donativum, & deesse pecuniam, omnia alia Militi largiretur,* Tacit. Hist. II. 94. De Alexandro Severo *Herodianus*, Matrem ipsi, superstitæ adhuc Heliogabalo, clanculum pecuniam dedisse quam inter milites divideret, *ὅπως αὐτῶν τὴν πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον εὐνοίαν ἢ διὰ χρημάτων (eis ἀμάλισι ἀποβλέπουσιν) ἐμειώσῃαι, ut eorum benevolentiam etiam pecunia pignore haberet autoratam.* Herodian. in *Heliogab.* f. 572. Idem postea Imperator redditus tristesque à reditu ex expeditione Perſica *παρεμυθῆντο μεγαλοδωρεὰ χρημάτων. Liberali largitione opum consolatus est; Id enim solum valere ad concitiandos militum animos arbitratur.* Herodian. in *Alex.* f. 582. Opius Macrinus eodem argumento permovit milites, ut filium Diadumenum Antonii nomine appellatum in Cæsarem reciperent. *Habete comilitones, dixit, pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine Aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas: Dii faciant ut hæc sepius fiant.* *Das*

vimus autem per cuncta quinquennia id, quod hostile deputa-  
 vimus. Et post hæc ipse Diadumenus: Scio me Pii, me  
 Marci, Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile  
 est. Interim tamen causa Imperii, causa nominis, id omne  
 quod Pater, & tantundem promitto, honoribus, ut veneran-  
 dus Macrinus Pater presens promisit, duplicatis. Æl. Lam-  
 prid. in Diadum. fol. 195. Nec denique Claudius II. Vir  
 Sanctus ac jure venerabilis, & bonis omnibus carus oc-  
 ciso Gallieno imperium ante capessere potuit, quam post-  
 quam promissis per Marcianum aureis vicenis, & acceptis,  
 Gallienum tyrannum militari judicio in fastos publicos retu-  
 lerunt. Trebell. Pollio in Gallien. f. 253. Lucullus é contra-  
 rio hoc freno uti noluit; ideo infidis ad omnia militi-  
 bus usus, ab iisq; tandem desertus fuit; quia nesciebat eos  
 aut molli oratione placare, aut muneribus sibi conciliare. Dion.  
 Casius L. XXXV. Et Galba Imperio excidit, non tan-  
 tum ob emissam inconsultam vocem: Legere se, non emere  
 militem; sed quia qui adversarum partium erant Vul-  
 gum & cæteros ira & desperatione dilati toties Donatini stia-  
 mulabant. Tacit. Hist. I. XXIV. & XXV.

## III.

Populo eadem præbita Congiaris nomine. Ita de Ju-  
 lio Cæsare Svetonius: Omnia circa eum, atque etiam par-  
 te magna Senatus, gratuito, aut levi fenore obstrictis, ex re-  
 liquo quoque ordinum genere vel invitatos, vel sponte ad se  
 commeantes uberrimo congiario sequebantur; libertos insu-  
 per servulosq; cujusque, prout Domino Patronove gratas quis  
 esset. Cæsar. c. XXVII. Et Plutarchus de eodem: Aurum,  
 Argentum, reliquamque prædam & opes ex tot Hostibus super-  
 fluentia in Urbem mittendo, testandoque largitionibus &  
 præbendo adilibus, pratoribus, consulisque atque horum  
 conjugibus *ἠκραιῶτο πύλλαι*, autorabat sibi complures. De Au-



gusto idem: Liberalitatem omnibus ordinibus per occasionem frequenter exhibuit: *Congiaris Populo frequenter dedit; sed diverse fere summa; modo quadringenas, modo tricenas; Nonnunquam duccenas, quinquagenasque numos, ac ne minores quidem pueros prateriit, c. XLVII.* Nero divisit Populo viritim quadragenos numos. *Sveton. in Nerone. c. X.* Hadrianus ad comprimendam de se famam *Congiarium duplex presens populo dedit, ternis jam per singulos aureis se absente divisit.* Aelius Spart. in Hadrian. *Aurelianus Congiariater dedit, donavit etiam Pop. Rom. tunicas albas manicatas, ex diversis provinciis, & lineas Afras atq; Aegyptias puras.* Flav. Vop. in Aurel. *Quò & munera in Inaugurationibus hodiernis Principum referenda, de quibus vid. Excell. Dn. Præf. Not. Dig. Diff. V. c. I. §. VI.* Modum tamen & temperamentum in iisdem statuit Augustus *quale fuit, quod cum proposito congiario multos manumissos insertosq; civium numero comperisset, negavit accepturos quibus promissum non esset.* *Sveton. in Aug. XLII.* Rarum est non acceptata fuisse, id quod tamen electo Venetorum Duci Nicolao Donato A. MDCXIX. accidit, qui *cum nummos argenteos pro more inter plebem spargi iussisset, illa recessit, nec eos humo tollere dignata fuit: ex quo facile conjecit, plebis animos vehementer exulceratos esse, quandoquidem istud respueret, quò alias etiam in maximo furore & tumultu pacari ac deliniri solet.* *Contin. Thuan. L. XI. fol. 828.*

## IV.

In ipsa quoque Puerili ætate, vis harum Illecebrarum se exerit, idque eo magis, quo teneriora ejus & ad veras rationes penetrandas minus apta sunt ingenia. Augustus ideo *in Congiariis ne minores quidem pueros prateriit.* *Sveton. in Aug. XLI.* haut dubie ut teneros animos, tem-

temporis sibi præpararet & ad Obsequium flecteret. Idemque Viri Prudentes omnium fere temporum commodissimum medium esse rati eosdem ad seminaria vitæ Civilis pelliciendi, Solemnia veluti muneraria pro ipsis instituerunt: Qvalia Majores nostri in Germania dixerunt *Gregoriana*, in honorem Gregorii M. Pontificis, tanquam Patroni Scholasticorum, iisque adventantes excipi munusculisq; acceptis, ad labores perferendos animari, præsentibus vero & scholis jam innutritis varia honorum & officiorum publicorum specie condecorari voluerunt, tanquam tales futuros, quos habitus signaq; præsentia præferrent: Romani olim *Quinquatria*, à V. diebus quibus Præceptores discipuliq; feriati sunt; Et discipuli quidem Minervalia, sive *didaxtes* persolverunt Præceptoribus, Præceptores vero discipulis spicas distribuerunt: unde illud Horat. *Crustula blanda dant Præceptores pueris*. Dresser. *de Fest. ad d. XII. Mart.* Et longe his antiquiores Græcos plane eadem observasse exemplo Homeri constat, qui si Græcorum Poetarum Princeps fuit, Rectorem Scholæ tamen egit, & ambitu publico, nomine tunc recepto *επιστολιῶν* quidem, seu Ramalia celebravit, re ipsa vero solennibus Gregorianis prælusit; Ædes quippe potentiorum ostiatim adiit & ducente puerorum choro sequens Carmen cecinit.

*Venimus ad magnas ades Civemque potentem  
Cujus divitiis resonat domus, atque redundat,  
Vos aditum præbete fores: feliciter intrent  
Divitiæ, & requies hilaris, Charitesq; sequantur:  
Vasa opibus tumeant, nihil hic videatur inane:  
Sintque laboratæ Cereis repleta canistra.  
Excelsæ curru nurus hic portetur, & ipsam  
Velocibus cursu revehant ad limina muli,*

*Hac premet electrum pedibus, telasq, labores.*

*Ast ego vos repetam, repetam (mibi crede) quot annis.*

*Non secus atq, redit sub tectum garrula Progne.*

*Assumus in porta: Seu munera ferre placebit,*

*Seu nihil, est tamen hinc abeundi certa voluntas;*

*Non etenim hic habitare diu nec adesse paramus.*

V. Herodot. de Vit. Hom. c. XXXIII.

V.

Qv. quid de muneribus Sancti - Christi in Germania nostra & vicinis regionibus nostris usitatis sentiendum. Resp. Rem per se nihil aliud esse, quam puerilis ætatis illecebras ad virtutem alacrius capeffendam, beneficentiam Divinam agnoscendam, ac dum parvuli credunt munera cœlitis demitti, invisibilem ejus potentiam ac providentiam laudandi; Et hæcenus innoxia esse. At in Larvis, quibus vulgus ad ea perferenda utitur, nimium abusum esse. I. Quia non faciunt ad erudiendos parvulos adeoque sine carent. II. Parvulos per terriculamenta talia ab amore cœlesti abducunt: Nam quæ ap. Americanos in insula cogitatio erat, in his non injuste excitari potest; Non posse bonum esse, qui sic ipsos terreat. III. Illudicitur etiam Servatori, totique historie Sacræ, quam depravatisimam exhibent, eoque in contemptum adducunt. Sed sic facere volupe est Satanae, Dei hominumque hosti, qui Larvis hæc Adventum Domini, Bacchanalibus, & Calendis Aprilibus Passionem, ejusq; ignominiosam circumductionem, risu Paschali gaudia Resurrectionis, & in avem suspensam jactatione, missionem Sp. Sancti corrumpere & exagitare audet. Paria Sancto-Christianis istis sunt Munera S. Nicolai, itidem in Borealioris Europæ partibus non ignota, quem ideo & sequioribus seculis puerorum & puellarum

rum patronum constituere; Et hi ex aduerso jejuniis, & opinione quadam puerilis eum colunt, ut munera ab eo accipiant in vigilia ipsius. Estq; ea opinio inde nata, quod S. Nicolaus dotem confecit tribus filiabus cujusdam egeni civis, nubilibus quidem, sed dote carentibus; Conjecit n. crumenam pecunia refertam clam noctu per fenestram in cubiculum Patris earum, ut elocare eas honeste posset. Dresser. de Fest. fol 156.

## VI.

Augustus porro Populum Annona pellexit: Frumentum enim in Annona difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio viritum admensus est; terrasque numerosas duplicavit. Sveton. Aug. XLI. & ante eum Julius Cæsar, Frumentum, quoties copia erat, etiam sine modo mensuraque præbuit, ac singula interdum mancipia & prædia viritum dedit. Sveton. in eod. XXVI. Ipse Senatus quoque ejecto Tarquinio, Multa blandimenta Plebi per id tempus dedit: Annona imprimis habita cura & ad Frumentum comparandum misit alii in Volscos, alii Cumas &c. Portoris quoque & Tributis Plebe liberata. Liv. LII. Aurelianus & Vinum gratuitum Pop. Rom. dare destinaverat; Statuerat enim Dominis locorum incultorum, qui tamen vellent, pretia dare, atque illic familias captivas constituere, vitibus montes conferere, atq; ex eò opere vinum dare; ut nihil reddituum Fiscus caperet, sed totum Pop. Rom. concederet. Flav. Vop. in Aurel. Sed huic Præfectus Prætorii obstitit, qui dixisse fertur: Si & Vinum Pop. Rom. damus, superest, ut & pullos & anseres demus. Ib. Et Julianus suscepta popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum. Amm. Marcell. in Jul. L. XXII. Cyrus Persas suos Epulis animavit; Hesternis similem laborem omnem vitam aduros, quod ad Medis pareant, se secutos hodiernis epulis; Latiusq;

*Medis bellum infert. Justin. L. I. Zeno quoque instituta & cultum Armeniorum amulatus, venatu, epulis & quæ alia Barbari celebrant, proceras plebemque juxta devinxerat. Tacit. Annal. II. LVI. Et Piasus Polonorum Regnum meritus fuit, quia institutis, eligendi Regis causa, Comitibus, cum multitudo inopia premeretur, extenui penu cellaque sua conventum illum omnem penuria laborantem, auferente rerum earum, quæ promebantur, copiâ, refecit. Cromer. de Or. & R. G. Pol. L. I. Neugebauer Hist. Pol. L. III. Ipsa odia in amorem convertendi vim in hisce talibus esse, exemplo antedicti Nicolai Donati Venetorum Ducis constitit; Cujus Munera cum Plebs Veneta paulum ante aspernata fuisset, eundem tamen, cum præter opinionem annonam laxatam videret, summo affectu venerata est, & Rebellionem in obsequium vertit. Cant. Thuan. cit. L. XL. fol. 829.*

## VII.

Tertium denique argumentum Illecebrarum Augusti fuit *dulcedo Otii*, quod *Juvenalis* postea expressit: *Qui dabat olim Imperium, fasces, Legiones, omnia nunc se Convinct atque duas tantum res anxius optat, Panem ac Circenses.* Sicque Marcus Imperator etiam *absens Pop. Rom. voluptates curari vehementer præcepit per ditissimos editores.* Jul. Capitol. in Marco. Et Agricola instigante feroces Britanni olim discesserunt *ad delinimenta vitiorum, Porticus, & Balnea & Conviviorum elegantiam.* Idque apud imperitos *Humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.* Tacit. Vit. Agric. XXI. 3. Basilius id expressit Orat. XXX. *Periti scientesque Medici, tunc plus de arte carent admirationis, cum non ferro & igne in belli modum vim mali domant; sed cum levibus pharmacis affecta parti adulant, agrum scite persanant, & artis severiora præcepta cōhibent*

bibent; mihi interim ac familiari quodam dictu, dolore sopito egrotum à morbo liberum ostendunt. Vid. plur. Gruter. Not. in Tac. p. II. f. 48. seqq. Hucq; inprimis referenda Spectacula, Ludique varii generis, quos Julius Cæsar regionatim urbe tota, & quidem per omnium linguarum histiones edidit, Svet. Cæs. XXXIX. Augustus Spectaculorum & assiduitate & varietate, atque magnificentia omnes antecessit, Svet. Aug. XLIII. Severus Imperator quoque, utur Imperium metu magis quam benevolentia retineret, Popularis tamen inprimis esse voluit. τῷ μόνῳ δῆ-  
 πο ἰνεῖσθαι ποιεῖν καχαρισμῆνα, edendis omnifariam magnificentissimis spectaculis; centenis etiam saepe numero occisis beluis, quas omnibus regionibus nostris barbaricisque conquirebat. Sed & Congiaria dedit uberrima, & certamen proposuit, undique accitis ludionibus atque athleticis. Herodian. in Sever. f. 527. Et Aurelianus, Princeps necessarius magis, quam bonus, post triumphatam Zenobiam sequentibus diebus dedit Populo Voluptates Ludorum Scenicorum, Ludorum Circensium, Venationum, Gladiatorum, Naumachia. Flav. Vop. in Aurel. Diocletianus tamen, intemperantiam quandam in iis notavit, cui cum quidam Largitionalis suus editionem Cari laudaret, dicens multum placuisse Principes illos causa Ludorum theatralium, Ludorumque Circensium; Ergo, inquit, bene risus est Imperio suo Carus. Flav. Vop. in Carino.

## VIII.

Atq; hæc omnia Historici Popularitatis nomine efferre solent. Quemadmodū iterum de Augusto testatur Dion Cass. L. Inprimis cupiisse Popularem esse, ἀμανοεργητὸς ἤξια ἴσως, h. maxime studuisse placere Populo; Et de Tito Svet. c. 11 X. Studium armatura Thracum pra se ferens, saepe cum Populo & voce & gestu, ut fautor cavillatus est. Et nequid

*Popularitatis prætermitteret, non nunquam in thermis suis admissa plebe, lavit. Unde & consuetudo milites Commilitones vocandi, quâ primo Cæsar usus, pro concione non milites, sed blandiori nomine Commilitones appellans. Svet. Cæs. c. LXVII. Otto Contubernales dixit ap. Tacit. cit. Hist. I. 23. Piso eodem tempore item Commilitones. Tacit. Hist. I. 29. Julianus Magnus Commilitones. Amm. Marcell. L. XXI. & Antoninus Caracalla ab ipsis militibus Commilito, potius quam Princeps vocari voluit, συστρωτής τε ὑπ' αὐτῶν μάλλον ἢ βασιλεὺς καλούμενος, χαίρειν προσποιῖτο. Herodian. in Caracall. fol. 547. Augustus tamen id abnuit, ambitiosius id existimans, quam aut ratio militaris, aut temporum quies, aut sua domusque sua majestas postuleret. Svet. Aug. c. XXV. Titum quoque summæ popularitati ituduisse prædicavit supra Svetonius, verum majestate salvâ, nec minus æquitate. Quod medium cum alii non tenerent, in contrarium cucurrere, non sine dignitatis suæ detrimento; Sic de Nerone Svetonius, cum pingendi fingendique studia ejus commemorasset, maxima popularitate efferebatur, omnium æmulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Ner. c. LIII. Julianus inducitur ab Amm. Marcell. L. XXV. Laudum etiam ex minimis rebus intemperans appetentior; Popularitatis cupiditate cum indignis loqui sæpe affectans. Et Antiochus Epiphanes hoc ipso Epimanis h. inepti, furentis nomen meritus est, quia nimis abjectis actibus & longe infra dignitatem Regiam Populo placere studuit: Cujus Exempla ex Athenæo ac Polybio vid. in Dissert. de Quart. Monarch. §. XIX.*

## IX.

Cæsar insuper Impunitatis fiducia Homines ad se pellexit: Nam teste iterum Svetonio Reorum aut Operatorum, aut prodiga Juventutis subsidium unicum ac promptissimum

*sumum fuit*: Qvò postea & Caius usus, qvi damnatos, re-  
 legatosqve restituit, criminaqve siqva residua ex priore  
 tempore manebant, omnium gratiam fecit. *Suet. Calig.*  
*XV.* Idqve *Popularitatis* amore, hujus n. omni genere,  
*ipse studia hominum incendebat.* *Suet. ib.* nec contemnendo  
 argumento. Nam ipse Respubl. sæpe impunitatis fiducia,  
 sceleratos, Latrones, Piratas à maleficiis avocarunt. *V.*  
*Grot. II. XXI. 5.* Et Prudentis esse inimicorum im-  
 minuere numerum, augereqve amicorum, dixit Julia-  
 nus Imp. in causa non distumili, ap. *Amm. Marcell. L. XXII.*  
 Accedit in specie ratio, cur in Cæsare id culpandum non  
 fuerit? qvia non qvosvis promiscuè, sed vel immerito o-  
 dio laborantes, vel levis culpæ reos videtur recepisse:  
*Qvos gravior criminum, vel Inopia Luxuriæve vis urgeret,*  
*quam ut subveniri posset à se, minime, indicante Ib. Svetonio.*  
 Sicq; ad Davidem quoq; congregati sunt quicumque erant  
 in angustiis constituti, & cuiusqve erat creditor, quicumq;  
 etiam erat amarus animo, fuitqve eis in Principem. *I. Sam.*  
*XXII. 2.* Non utiqve, qvi injusta alieni cupiditate in ma-  
 la hæc inciderunt; Id enim in fraudem Reipubl. aut Cre-  
 ditorum futurum fuisset, qvò de Davide cogitare Pietas  
 ejus non sinit; Sed qvos fortuna miseros fecerat: Qvò  
 & Josephus collimat, ait enim confluisse ad Da-  
 videm, *ὄσις ἢ χρεία ἢ, ἢ φόβος ἐκ Σάουλ τῷ βασιλέως, qvi*  
*aut Necessitate aut metu à Saulo correpti fuerunt.* *Ant. L. VI.*  
*c. XIV.* Si qvi nihilominus malo animo ad eum vene-  
 runt, hi cautæ Davidis præjudicio hant esse potuerunt;  
 Nam nec illè animos ipsorum potuit exploratos habere,  
 nec hominum etiam cœtum facile sine vitio invenire est,  
 veluti ipse Christus in societate sua Judam, Noachus in Ar-  
 ca Chamum habuit. Vid pl. *Petr. Martyr Comm. in h. l. Add.*  
*Abulens. in eund. Q. IV.* Secus se habet Abimelechi factū

Jud.



*Jud. IX. A.* Is enim (1) *conduxit sibi viros inopes & vagos* (2) In eadem Fratrum suorum & (3) *Contra voluntatem DEI Rempublicam Israeliticam in Regnum mutare conatus fuit.* V. iterum *Martyr. c. l.*

## X.

Aliud genus *Turbamentorum* est, quo homines *objecta magnitudinis specie* non gratiam, ut illi priores, sed reverentiam ac venerationem sui captarunt, quali complures *Pompæ Veterum*, durioribus imprimis temporibus consistere, justis quidem ac necessariis de causis *Reipubl. institutæ*, tum ut præclare meritis suis constaret, honos, tum ut publice eadem innotescerent; At nihilominus sub asperis Principibus rebus fermè vacuæ, ab his tamen ambitiose expetitæ, idq; unice ad persuadendam *Populo virtutis meritum*q; suorum magnitudinem, quam tamen tam artificiose fingere non potuerunt, quin quid veri falsiq; subesset, *Populus perciperet*, λαθεῖν γὰρ ἔργα θεοῦ αὐτῶν: *Principum enim res latere nullo pacto possunt*, ait *Herodianus* de *Caracalla* loco jamjam citando. Sic de *Gallieno Trebellius Pollio*: *Interfectis Militibus ap. Byzantium, quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido convolasse, convocatisq; Patribus decennia celebrasse, novo genere Ludorum, nova specie Pomparum, exquisito genere voluptatum &c. Omnes via Ludis strepituque & plausibus personabant: ipse medius cum picta toga & tunica palmata inter Patres omnibus Sacerdotibus pratextatis Capitolium petiit. Hasta aurata extrinsecus quingena, vexilla centena; & præter ea qua Collegiorum erant dracones, & signa templorum omniumque Legionum ibant. Ibant præter ea gentes simulata, ut Gothi, Sarmata, Franci, Persæ: ita ut non minus quam duceni singulis globis ducerentur. Subdit vero tandem: Hac Pompa homo ineptus eludere se credit*

*dit Pop. Romano: sed ut sunt Romanorum facies, alias Posthumus favebat, alius Regilliano, alius Aureolo, aut Emiliano, alius Saturnino.* Et de Constantio Amm. Marcell. L. XVI, Iniquius forsitan, congruè tamen ad propositum nostrum: Romam gestivisse visere triumphaturum, nec tamen gentem ullam bella cientem per se superasse, vel addidisse, quædam Imperio, *sed ut Pompam nimis extensam, rigentiaque auro vexilla, & pulchritudinem stipatorum ostenderet agenti tranquillius Populo, hæc vel simile quidquam videre nec speranti unquam nec optanti;* Et de Antonino Caracalla Herodianus, cum ille Senatui Populoque Rom. per literas significasset *Subactum à se orientem cunctosque illius Regni mortales in suam ditionem concessisse,* Senatum quidem totius negotii gnarum fuisse, *metu tamen ac assentatione cunctos illi honores victoria decrevisse.* Nescimus autem, an quisquam turpius hanc scenam luserit Cardinali Campegio, qui Characterè Legati Pontificii ad Henricum VIII. Regem, cum viginti mulis vario apparatu onustis Londinum ingressus, primum mirificam speciem præbuit raræ cujusdam opulentia; Sed dum per summam Plateam procedit, repente unus è mulis rupto capistro, quo stringebatur, in proximos alios imperum facit, atque illi vicissim in alios: Quo factum est ut tumultuantibus aliquot gestamina humi effusa sint, tanta quidem vi, ut laxatis bulgæ ipsæ feris Cardinalitios Thesaurus, vel potius pro thesauris carbones ostenderent, non sine multorum risu, maxime autem puerorum & puellarum, quorum alii fragmenta carniùm, alii panis frusta, alii ova affata, aut equorum soleas, vetustos calceos, aliaque id genus scruta plateis colligentes clamitabant: En, inquiunt, D. Cardinalis gazas! Quam historiam refert Thom. Fuller, *Hist. Eccl. Angl. & Piccart. Narr. Ridic. ad Obs. Hist. c. III.*

In Bello hujus generis *Turbamenta* sunt Strategemata, neque enim hæc aliud quid sunt, quam externæ species utilitatis nostræ causa hosti objectæ; *Furtiva Belli* eadem ex causâ eleganter vocata à Brasida apud *Thucydidem Lib. V.* Et Ulpiano *Dolus bonus & solertia est*, si adversus hostem Latronemq; quis machinetur *L. 1. ff. de Dol.* Indeque tritum illud: *Dolus an Virtus quis in hoste requirit?* *Dolus* h. Insidiæ, consilia occulta, *virtus* h. vis manifesta; Et Theodosius in expeditione adversus Firmum laudatur, quod *commentis potius & prudentia, quam periculosis congressibus hostem pugnacem & impenetrabilem jactu telorum oppressum iverit*, ap. Amm. Marcell. in *Valent. Lib. XXXIX.* Cujus specimen mox addit: Misisse assidue svadendi quosdam peritos ad Gemes circumfusas, Bajuras, Cantaurianos, Anastomates, Cafaves, Davaresq; & finitimos alios nunc timore, nunc promissis eos ad societatem alliciens, veniamq; petulantia interdum promittendo: Plura Vid. ap. *Grot. III. I. IV. 6.* Nec Hostis eo nomine querendi causam habet, cum quia Hostis est, sine injuria in infinitum lædi possit. Solum aspectum hujusmodi vim habuisse exemplo Volscorum constitit, quorum animis *nihil terribilius erat, quam ipsius Camilli fortè oblatis species: Ita quocumque se intulisset, victoriam secum haut dubiam traherat.* Liv. L. VI. Et Galli de Germanis confesi sunt: *Sape numero sese cum his congressos ne vultum quidem atq; aciem oculorum ferre potuissent.* Jul. Cæs. L. I. Bell. Gall. Quod Turbamentum utinam in nostra usque tempora durasset! Clamorem eodem fine passim receptum Cæsar testatur *L. III. Bell. Civ. Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent; quibus rebus & hostes terreri & suos incitari existimaverunt.* Unde Agri-

Agricola apud Tacitum *Vit. Agr. c. XXXIV.* de Britannijs, ipsos unam legionem furto noctis aggressos clamore debello *lasse,*

## XII.

Ultimo accedet Commiseratio à Procopio Valentis tempore rebelli Imperii obtentui sumpta, quam & Ammian. Marcellin. ideo singulari *calliditatis Argutiarum* nomine vocat. Is nempe *Constantii Filiam parvulam cum Matre Faustina & in Agminibus, & cum propinqua acies starent, lectica circumferens secum, ut pro Imperiali germine, cui se quoq. junctum addebat, pugnarent audentius, tras militum accendebat: Sicuti aliquando Macedones dimicaturi cum Illyris, Regem adhuc infantem in cunis locavere post aciem; Cujus metu ne traheretur captivus, adversos fortius oppreserunt.* L. XXVI. Sed Imperator tunc sagaci opitulatione, ut ibidem Ammianus loquitur, nutanti negotio consuluit. Felicius vero eodem incitamento Brabanti ante tria Secula usi fuerunt, qui Ducem suum in cunis ante Aciei Principis Saliti appensum, vagitu suo victoriæ autorem fecere Hostesq; e patria depulerunt, unde Nomen ipsum postea mansit *Godsfredi in Cunis*, de quo vid. *Harum. Ann. Brab. T. I. fol. 220.*

## Cap. IV.

DE  
TURBAMENTIS  
SACRIS.

9

- I. *Magnam vim Religioni in Animis hominum esse.*
- II. *Eandem Externis in hac vita carere non posse.*
- III. *Falsum esse, eam coercendi Vulgi causa adinventam esse.*
- IV. *Nec Cupiditatibus Humanis obtendi;*
- V. *Nec Commodi aut Interesse alicujus causa coli posse; Ac ne Externa quidem ex ejusmodi causa institui debere.*
- VI. *Romanos sincere coluisse Religionem suam.*
- VII. *Circa Religionem tamen figmenta quedam induci passos fuisse: Machiavellum nimis aperte nequitiam humanam recitasse.*
- VIII. *An Evangelicis exprobrari queat, ipsos Bonorum Ecclesiasticorum & Licentie majoris causa Religionem Pontificiam abiecisse.*
- IX. *Religionis Catholicae Hypotheses Commodorum causa inventas esse.*
- X. *Quasdam tamen universae Rei Literariae conducere: Politicorum Scriptorum numeroque in culpanda multitudine Bonorum Ecclesiasticorum.*
- XI. *De ambagibus docendi, in Scholis Judicium.*

I.

**V**Enimus ad Sacra, vel potius Sacrorum prætextum, non minus Vulgi ingenii applicata obtinendoque fini suo ab hominibus adhibita: Ubi I. agnoscendum est, Religionis in animos hominum magnam vim esse: Sicut enim verus amor semper in se ipso crescit, ita amoris sacrorum non sufficit rem amatam consequi & colere: Sed ultra cupit, ut omnes eandem diligant & sequantur. *Tholosan. de Rep. L. XIII. c. 6.* Hinc itaque Religionis causa & favore nihil non actum ab hominibus, & contraria omnia detestationi habita fuere. Exempla Mosis, Pinchæ, Eliæ, Samuelis, Mathathæ *Vid. ib.* Et si fas est, de figmentis Religionis aliquid addere ex historia profana, Numæ Pompilii, Minois, Lycurgi, Zaleuci ap. eundem & *Richter. Ax. Eccles. LXXX.*

II, Nec

## II.

Nec negari potest, eidem in hâc vitâ externis h. ceremoniis, ritibusque opus esse. Sunt enim I. Signa interiorum. II. Media Religionem in animum demittendi, seu externa humanæ infirmitatis rudimenta, quibus hominum communitas, velut quibusdam humanitatis & moderationis vinculis in ordine retinetur, quibusque, ablatis dissolvi nervis suis Ecclesias totasque deformari ac dissipari oporteret. *Calvin. Inst. L. IV. c. 10. In nullum nomen religionis, seu verum seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum consortio colligentur, impieque proinde contemnitur, sine quò non potest perfici pietas. Augustin. c. Faustum L. XLX. c. XI.*

## III.

Attamen falsa est & plane insana Atheorum opinio: *Totam Religionem coercendi vulgi causa adinventam esse*; Nam licet Religio sit vinculum societatis humanæ, seu ut Plutarchus loquitur, *συνικτικὸν ἀπόσις κοινωρίας καὶ νομοθεσίας ἕνεκα*, *coagulum omnis societatis & fundamentum legislationis* I. Tamen non solum nec semper id est: Religio enim futura esset, licet nulla societas humana existeret, quia Deus est, cui creatura hoc ipso, quia Creatura est, cultum ac venerationem debet; Erit in altera vita, ubi vitæ civili non amplius locus dabitur. II. Etiam si id sit, non tamen effectus vitæ socialis est, sed ejusdem causa: Non enim Religio est, quia vinculum vitæ socialis est, sed vice versa, quia Religio, h. ratio agnoscendi colendique Deum est, eandem etiam oportet vinculum vitæ socialis esse. Cultus enim, quem Deo debemus, perfectissimam vivendi rationem involvit, quæ non potest consistere, nisi etiam inter homines & cum isdem probe justeq; vivamus. Verèque

proinde locutus est Cicer. Lib. I. de Natur. Deor. *Pietate fabulatâ, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus Justitia tollitur.* Nulla enim interna obligatio aut vis animum convincens remaneret ad trahendum cives in sincerum Reipublicæ cultum & obsequium, vel imperii quicquam excerneretur in eorum intimos affectus, negotiaq; civilia privarentur omni solidò subsidio. *Wespon. Comm. de Mor. Reipubl. Christ. Lib. III. c. X.* Universa quoque Justitia merè fortuita nexuq; omni destituta, & fides inane nomen futura, nec quicquam certi in vitâ humana reliquum extitutum esset.

## IV.

Nec longe hinc absunt, qui *Religionem cupiditatibus suis obtendunt*; Id enim nihil aliud est, quam *Divinitatis Colore dare morbo excusatam licentiam*, ut Seneca loquitur *Br. Vit. c. VI.* Nunquam ferè sola Religio causâ bellorum fuit, sed vel liberior & amplior vivendi licentia expetita per simulationem religionis, vel immoderata libido dominandi, vel aliqua res hujusmodi mortales incitavit, ad arma hostiliter suscipienda adversus resistentes, cū turpitudine desiderii & illegitima appetentia rerum parum honestarum, aut simulatione defendenda religionis, aut alicujus cause honestioris contegatur, quò multi & fautores inveniantur, & confluant adjuutores, quia manifestam turpitudinem pauci admodum complectuntur. *Nat. Comes Histor. L. XI.* Hispanorum id ante hac opprobrium fuit: *Numini suas cupiditates impunitæ, veluti pro illo depugnantes solertissimè sibi vincunt: Illa velut prefatione in omnium rerum cœpta tanquam inscenam & tragediam intrant. Ferdinandus & Isabella hunc jam patrium morem Nepotibus tradiderunt, inquit Euphormio Icon. anim. c. VII.* Et Ferdinando Catholico, Thuanus imputat, ipsum sub colore Religionis, quam omnibus suis &

*tionibus semper prætexebat, ad ambitionem & inexplebil-*  
*lem propagandi imperii cupiditatem mira calliditate ab-*  
*usum esse. Hist. L. 1. ad A. MDXX. Confer. Trut. Stat.*  
*Europ. Disc. 1. f. 10. & seqq. Campanella de Monarch. Hist.*  
*C. VI. c. XIX. Idem præteritis annis Cromwello Usurpa-*  
*tori Monarchiæ Britannicæ tributum, quæm instaurationem*  
*Religionis præ se tulisse quidem scribit Autor no-*  
*tarum in vita ejus, nullam autem vere optasse, sed hoc me-*  
*dio ad Parlamenti conatus eludendos callidissime usum. Vi-*  
*gore enim Instrumenti protectorii tribus quibusque annis 400.*  
*ex tribus nationibus personis constans Parlamentum convoca-*  
*re fas erat, nec ultra V. menses deliberationes prorogare lici-*  
*tum. Primam ergo consultationis partem Religionem, ut po-*  
*te causâ potiorem, & antequam ea decisa, quicquam nisi ma-*  
*teriam tributorum ( qua nullam procrastinationem recipe-*  
*ret ) in deliberationem deducere, piaculum fore constituit.*  
*Inde factum, ut tot dissentientium de Religione in veterata in-*  
*primis apud Anglos credendi, quod libebat, licentia, diver-*  
*sitate, nunquam de pomo hoc Eridis inter se placidè conve-*  
*nire potuerint. Tempus inde futilibus altercationibus extra-*  
*ductum, tandem omne præterlapsum est: regni cura verò ( quia*  
*eam prius tractare, quam de religione condenseret prohibitum)*  
*intermissa, & increpiti à Protectorè ipsi, tanquam DEi causam*  
*languidè tractarent, omnem deliberationem frustra esse co-*  
*gnoverunt. Interim ipse jura Mæjestatica liberrimè exer-*  
*cens, & jus sacrorum ad se rapiens, liberis Britannis scilicet*  
*dominabatur plus quam absolutissime. Nostro tempore &*  
*inter consilia Gallica numeratum à pacis Europææ aman-*  
*tibus, de quo Autor Machiavelli Gallici n. 78. Man unter-*  
*driicke in Franckreich die Hugonotten / und überrede dem*  
*Nabst / man wolte dergleichen in Holland thun / hergegen so-*  
*vire, hege und unterhalte man in allen andern Orten der*  
*Welt*



36  
 Bekt allerley Religions-verwandten/so gar auch'gegen ihre  
 eigene Catholische Obrigkeiten/wann es nur zu Frankreichs  
 interesse dienet. *Exempla Vetera plurima Vid. ap. Tho-*  
*lasen. Rep. L. XIII. c. IIX. & seqq. Richter. Ax. Eccles. LXXX.*  
*&c. Seneca certe hic exclamandi causam haberet, quo*  
*alias in argumento hinc non alieno utitur Epist. X. *Quanta**  
*dementia est hominum! Turpissima vota Diis insufurrant:*  
*si quis admoverit aurem conticescent, & quod scire hominem*  
 *nolunt, DEo narrant. Et Eschines mutatis tantum verbis*  
*Or. c. Ctesiphontem: Capite hos pradones, qui semper in*  
 *ore habent nomen Reip. Navigant enim in mari verborum,*  
 *& hoc pratextu Reipubl. mala extrema accersunt. Breviter:*  
*Primum & ultimum in Religione Deus est; Ab hoc er-*  
 *go, si propter commoda nostra deviemus, non pos-*  
 *sumus dici. Religionem habere; non enim Deum tunc*  
 *colimus, sed commoda nostra: Hac vera Religio, qua te*  
 *DEo religat. DEum tibi, humilitatem piis mentibus inserit,*  
 *insolentiam extirpat. Petrarcha Dialog. XIII.*

## V.

Sed sicuti Religionem cupiditati alicui obtendere,  
 fas non est; ita una tangendum est, *Religionem nunquam*  
 *utilitatis vel Interesse alicujus gratia coli vel utilitatem aut*  
 *Interesse quoddam in ea spectari posse; Termini Utilitatis,*  
 *Commodorum, Interesse vitæ Civilis proprii sunt; non*  
 *Cœlestis; & quod utile vel commodum est, bonum in-*  
 *mediis tantum est; Religio sublimius quid est, & quia*  
 *unice in DEUM tendit, ita DEI causa quoque est,*  
 *excolenda etiamsi nullum commodum inde expe-*  
 *ctari vel sequi possit: Valetque hic omnino, quod Pe-*  
 *regrinus ap. A. Gellium de Virtute dixit, colendam*  
 *esse etiamsi Dii hominesque id ignorent. Verbo: Reli-*  
 *gio nullum extra se interesse habet: Religio quæ extra*  
 se

se interesse aliquod habet, non est Religio, sed profanitas, quia ad aliquod extra DEum tendit, ultra quem nihil statui potest. Prima fundamenta Religionis quidem, seu *πρῶτα τὰ ἀληθῆ*, aut si falsa sit, *πρῶτα τὰ ψεύδη*, ἵε Interesse Religionis nomine alicubi appellari cœperunt; Sed Terminus Interesse Nota finis est; Et qui propter aliquod, quod Interesse suum vocat, operatur, finem intendit ad quem operationem suam dirigat. At qui in Religione sententiam aliquam ex hoc vel illo fundamento profectur, non ob quem finem, sed ex qua causa id faciat dicit. Prima Fundamenta e. seu Principia Religionis causæ quidem sunt, ex quibus particulares sententiæ fluunt, sed non finis, ob quem ea suscipiuntur, eoqve Causam Efficientem & Finem confundi haut oportuit. De Externis quoque idem sentiendum, ea unice ad Religionem directa esse oportere, quia Interni cultus signa sunt. Siquid extra eam præ se ferant, aut in commodum aliquod humanum per se dirigantur, figmenta sunt, Deo adversa; *Quis n. pōsit hæc de manibus vestris? Jes. I. 12. nec digna Religione, quam sinceram, h. ab admixtione alieni liberam esse oportet: Talis v. Religio non est, quæ hæc admittit. Infidelis est, cui voluntarium placet falsum.* Clem. Alexandr.

## VII.

Romanos commodorum Reip. causa Religionem suam fovisse à recentibus nonnullis videmus annotatum esse, quam sententiam Machiavello quoque imputat *Scipio Amiratus Disc. Tacit.* cujus contrarium tamen eo loco, quem citat *Amiratus disc. in Liv. Lib. I. c. XI.* liquido clarret. At sincere Religioni, utut falsæ, studuisse, facta dictaq; ipsorum clarissima testatū faciunt: Hinc enim cordata illa Ciceronis exclamatio: *Si conferre volumus nostra cum*

H

exter-

*externis, ceteris rebus aut pares aut etiam inferiores reperimur; Religione, id est, Cultu Deorum, multo superiores. Nat. Deor. L. II, c. II. Et L. III, c. II. gloriatur: Mibi ita persuasi: Romulam Auspiciis, Numam Sacris constitutis fundamenta jecisse nostra Civitatis, qua nunquam profecto sine summa placatione Deorum immortalium tanta esse potuissent. Qua confidentia nunquam loqui potuisset, si factam ad utilitates suas Religionem coli censuisset. Iterum Plinius de Roma: Civitas Religionibus dedita semper Deorum indulgentiam pie merita. Panegy. ad Trajan. c. LXXIV. Et Plutarchus in Marcello: οὐτα πάντα τὰ πρὶ γματα Ῥωμαίοις εἰς τὸν θεὸν ἀνήγαγο μαθειῶν ἢ κ. παρρησιῶν ὑπεροψίας ἐδὲ ἐπὶ τοῖς μεγίσταις εὐπραξίαις ἀπεδέχοντο, μείζον ἠγάμητοι πρὸς σωτηρίαν πόλεως τὸ θαυμάζειν τὰ θεῖα τοῖς ἀρχόνταις, ἢ τὸ κρατεῖν τῶν πολέμιων. Ita omnia Roma ex Religione pendebant: Auspicia ritusque veteres, ne si secundissimi quidem rerum sequerentur cursus, ferebant negligi, antiquius ad salutem publicam rati, si Magistratus DEOS suspicerent, quam si superarent hostes. Imo ipsis Christianis nunquam satis inculcanda vox est, quam præconis publici ore, dum sacra peragenda erant proferri curarunt. Nam cum Magistratus & Sacerdotes, quid rei divina facerent antecedens præco magna voce clamavit: Hoc age: quâ voce rebus Divinis jubebant intentos esse, neque ullò opere eas vel negotio interpolare, quod pleraque mortalium coactû quodammodo & vi efficiantur. Plutarch. in Coriolan.*

## VIII.

Interim rebus circa Religionem figmenta quædam publicorum commodorum causa induci passos fuisse, nimis clarum in omnium temporum ipsorum historiis esse cutumamus. Quis enim crediderit dum permiserunt supplicationes, sacrificia, aut ludos ob defe-

defectum rei minutulæ instaurari, ipsos id serio egisse, aut si unus equus thesas ducentium clanguisset, itemq; si lævâ manu prehendiisset auriga habenas, ut *Plutarchus* eodem loco refert, latitans divinum quid sibi persuasisse: Passi tamen fuerunt ea fieri, ut populo militiq; persuasum maneret, nihil sine DEorum instinctu à se suscipi. Cujus quidem rei causa Amiratus iterum Machiavellum perstringit. Sed ipsi Romani istorum temporum jam ausi fuerunt asserere: *Religiones ad opinionem imperitorum fictas esse*, ut ap: *Ciceronem* legitur *Divinat. L. I. c. XLVII.* Religiones, h. ut supra quoq; dictum est, non cultus DEorum, sed auguria, auspicia, & sim. vel potius *superstitiones*, ut ab ipso Cicerone accipiuntur. Quis igitur nostri temporis homini vitio verterit, si idem scripserit? Ac probat quidem Amiratus etiam Tiberii ætate persuasionem de Auguriis, Auspiciis & similibus cœlestibus nunciis in militaribus animis viguisse, sed nemo eâ de re dubitat: De animo tantum, quo à prudentioribus accepta sint, quæstio est. De quo iterum Cicero testis omni exceptione major clarissime *Divinat. L. II. c. XXXIII.* *Credo & Romulum qui urbem auspiciato condidit, habuisse opinionem esse in providendis rebus augurandi scientiam; Errabat enim multis in rebus antiquitas, quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus, retinetur autem & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates Reipublicæ, mos, religio, disciplina, jus augurum, collegii autoritas.* Mox quoque rationem reddit, cur Publ. Claudius & Lucius Junius Cons. quia contra Auspicia navigaverant, puniti fuerint? *Parendum enim fuit Religioni, nec Patrius mos tam pertinaciter repudiandus:* Quod nihil aliud est, quam quod præcedenti c. I. diximus, Jus internum Consules ad auspicia servanda nullum obligasse, eosdem tamen jure externo

& iudicio coactivo adigi potuisse: Exemplum Flaminiū, quod Machiavellus simpliciter refert, Amiratus repetit, ridendo idem mox refutat: *Flaminius non paruit Auspiciis, itaqve periit cum exercitu; At anno post Paulus paruit, num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu?* Mox quoque Pullaria ista Auspicia, quæ ambo tam operose referunt, examinat ac refutat, concluditque tandem: Ut sint auspicia, quæ nulla sint, hæc certe, quibus utimur, sive tripudio, sive de coelo, simulachra sunt auspicioꝝ, auspicia nullo modo. Similia vid. *de Nat. Deor. L. II. c. III. de Div. L. I. c. XVI.* Imo nec universale fuisse iisdem temporibus idem edocet de Divinat. L. II. c. XXXVI. *Bellieam rem administrari majores nostri, nisi auspicato, noluerunt: Quam multi anni sunt, cum bella à proconsulibus & propraetoribus administrantur, qui auspicia non habent, itaqve nec amneis transcant auspicato, nec tripudio auspiciantur.* Nec sequitur hinc, semen quoddam Religione abutendi ita spargi, deque eâ minus legitimè ac decenter sentiendi ansam præberi, quod autumat Amiratus L. V. Disc. V. Neque enim *superstitione tollenda tolletur Religio*, ut iterum respondet Cicero *Divin. L. II. c. LXXII.* Nihil ergo hic scripsit Machiavellus quod non ipsi Romanorum Sapientissimi scripserint, in eo tamen à suis forte culpandus, quod ut alias sæpissime solet, hic quoque nimis apertè scripserit de rebus, quas tectius dici oportuisset; Planeque verum est quod *Dan. Heinsius* de eò iudicat *Orat. de Civ. Sap. XX. Quemadmodum in Fœmina pulcherrima, in quâ sive formam sive mores sive indolem videas, nihil est non admiratione dignum, partes tamen quaedam sunt pudenda, quas velari & honestas & ratio & consuetudo postulat, propter quas fortè à singulis speratur; Ita in prudentia hac nostra, postquam ab honesto singulorum vitio in civitate utilitas educi*

capit

*cepit, partes quadam inhonesta ceperunt esse, & si verum fateri volumus, etiam obscena, neque minus tamen necessaria. Has divinus Plato leviter descripsit, Aristoteles produxit, ita tamen ut velaret: Novus autem iste, velle in publico sublata, omnibus ostendit. Conf. simile iudicium de eod. ap. Dn. de Jena de Rat. St. Diff. II. Concl. I.*

## IX.

Religionis Evangelicæ utriusque Instauratoribus eandem calumniã impactam vix referremus, nisi paleas has toties excussas iterum iterumque hostes eius producerent. Ajunt Lutherum Ecclesiasticos Libertatis dulcedine, missã severa priori disciplina, seculares spe Bonæ Ecclesiastica repetendi, in partes suas pellexisse. Elisabetham Reginam Angliæ, eandem Regnis suis induxisse, ut nuptiarum legitimarum prolem se ostenderet quas Pontifex M. ante damnaverat &c. Sed opprobrium hoc vetus est S. Paulo quoque objectum II. Corinth. XII. *Cum essem astutus dolo vos cepi: ipso interim ab omni astutiã dolove malo immuni.* Elenchum non causæ ut causæ jam dudum hac in re notarunt Causæ Evangelicæ Patroni. Veræ causæ fuerunt agnitio veritatis emergentis, libertatis Christianæ desiderium, detestatio idololatriæ & superstitionum. Ampliorum Bonorum aut aliorum externorum desideria si quas aulas vel privatos cepere, occasiones fuere causis præludentes, primæ agitationes, causæ minime. Oportebitque hic dici quod de affectibus Seneca: *Affectus est, non ad oblatas rerum species moveri, sed permittere se illis, & hunc fortuitum motum persequi* L. II. c. III. Ipsa Virtus sui causa expetenda est, spes præmii externi tamen homini prima occasio esse potest ad ipsam amplectendam. Nec alia Regni Christi initia, quam ab Externis Discipulorum perivasionibus fuere, longè alia tunc

cogitantium, quam quæ postea propter ipsum non inviti passi sunt, mundani nempe Regni, pulvis Romanis, instaurationem atque in eo honores summos, munera atque divitias. Anno filii & fratres Zebedæi, Jacobus & Johannes, ut ex Matris supplicatione patet, Regis Regniqve summi Ministri esse avebant, & ad Vice Regis vel simile adspirabant munus, cumqve re ipsa statim voti desideriiqve compotes se fieri haut posse animadverterent, igitur in tempore vigilare, & primarium, ut vocant, ad minimum impetrare & acquirere intentio fuit, quò factò etiam condiscipuli se non indignos dextra & sinistra Domini credentes, offensi sunt. Conf. Dn. de Jena *de Rat. St. diff. XXI. concl. III.* Crediderimus quoque Constantino M. Cæsare, Christum patenter agnoscente, multos Primorum Aulæ Ministrorum & Procerum Cæsarem imitatos fuisse, non unice, primario & principaliter propter Christum, sed propter alia & mundana, qui tamen procul dubio in veritate ore agnita, per Dei gratiam ita confirmati sunt, ut ad finem usq; serio in ea perstiterint. *Id. Dn. de Jena l. c.*

## X.

Nos quidem nemini eò nomine litem intendemus, quippe certi Deum Optimum Maximum & Misericordem & ubiqve Justissimum, variis conversionis mediis & captum imbecillitatis nostræ superantibus, pro beneplacito nonnunquam uti, hominum fidem quotidie augere & gratiosè perficere valere, ut non amplius prima mutationis aut conversionis causa, sed incrementum pietatis & fidei puritas ejusdemq; fructus uberrimi & necessarii sint aspicienda, ut iterum loquitur *Magnif. Dn. de Jena c. l.* Imo nec Religionis manifesto falsæ affectis ejusmodi quid imputare facile ausimus, nam & talem, qui commodi alicujus aut externi respectus

respectus gratia colit, notam impietatis effugere, non posse autumamus, dicendumq; hic omnino, quod Seneca de Sacrilego ait *de Benef. L. VII. c. VII. Opinio illum sua ac nostra obligat poena, quia tanquam DEO injuriam fecit.* Ipsi interim Catholicae Religionis defensores viderint, an se hypothesesq; suas ab hoc opprobriô fatis liberare possint, quippe quas non veri amore, sed commodorum status Ecclesiastici gratiâ introductas esse perquam clare à viris egregiis demonstratû est, qui *Severini De Monzambano & Basilii Hypereta* nominibus nostro tempore scripserunt, & ante eos jam Lutheri initiis circa A. MDXXI. à Simone Hesso Prototario Sedis Apostolicae, uti vocari voluit, & Summi Pontificis familiari, cujus scriptum vide apud *Goldast. Polit. Imp. P. XXIV. fol. 1085. & seqq.* cui & breve iudicium additum: Sic Hessum Curiam Romanam defendere, ut si decem essent Hessi Roma propugnatores, brevi perire fame, universam curiam necesse esset. Neque rationes eorum hic transferemus, ne actum agere videamur: De Missâ tantum enotamus, quod Dn. de Monzambano scripsit, eâ nihil accommodatius ad lucrum atque auctoritatem sacerdotum promovendam: *Nam quis tam salutarem operam navanti premium negare velit? &c.* Id ipsum, sapienter animadversum à non nemine è Catholicis Proceribus Poloniae, eô tempore, quo consilia de Colloquio Charitativo Thoruniensi agitabantur spesque videbatur subnasci nonnullius inter Evangelicos & Catholicos concordiae; Negavit factû possibile esse, idque vel solius Missae causa, quia plurimi homines ex ea vitam sustentent. Nam, ait, hic Articulus si convelleretur, quot sunt in Italia sacerdotes, tot essent milites vel Pradones. Credo in ipsâ urbe Romanâ posse recen-

scri



feri circiter 6000 sacerdotum, ex solis solitariis Missis viventium? Quid putas in aliis urbibus? Quid in aliis Regnis? Citius arma sumerent, & cervices sibi abscindi quam hac mutari paterentur. Nec sacerdotes tantum, sed universi Seculares, qui pietate in suos mortuos tanguntur. Lutherus & Calvinus totum Mundum concusserunt: Quid non perturbarent tot hominum myriades? Sic verba ejus sonant in literis hâc de re scriptis. Immo ne emendari quidem potest Ecclesia Romana, quia commodis ejus id adversatur. Sic enim Cardinalem Volaterranum coram Adriano VI. P. M. olim ratiocinatum legimus, nullam posse institui, quæ obventiones Ecclesiasticas non insigniter diminuat. Quarum cum IV. sint fontes, unus temporalis, status Ecclesiastici redditus ordinarii; Alii Spirituales, Indulgentia, Dispensationes, & Beneficiorum collationes, nullum horum posse obturari & occludi, quin de repente de censu ecclesiasticis quarta pars decedat ap. Petr. Svav. Hist. Conc. Trid. L. 1. Et planè similiter idem illustris Polonus: Dicam audacter & vere, facilius Romanam Ecclesiam posse ferre desertionem sui à Regibus & Populis, quam emendationem impetrare à se ipsa: Emendatio enim esset mors ipsius; Desertio verò vitam ipsi prorogat. Nunquam est emendata, quamvis sapius deserta: Sed cum utriusque gladii jus habeat, & nulli temporum prescriptioni subiaceat, non semel sese vindicavit & adhuc vindicat. Planum ergo est Ecclesiam Romanam commodorum causa suas fovere hypotheses.

## XI.

Una tamen Hypothesis fortassis optanda esset unicuique bonarum literarum amanti, quæ intacta incolumisque mansisset, de magnitudine Bonorum Ecclesiasticorum; Hæc enim omnibus æque profuit, qui literas quomodocunque tractatum ivere Theologis, Jureconsultis

Sulis, Medicis, Philosophis, ad easque tractandas incen-  
 tum fuit. Nec damna per se extitit, nisi deteriori ho-  
 minum parti, h. literarum ignaris. Ac licet certum sit, Bo-  
 na Ecclesiastica secularisari posse, imo recte ac prudenter  
 id aliquando suscipi vel susceptum esse, agnoscendum  
 sit; Sunt enim Sacra quidem ratione finis, in se tamen.  
 Bona publica, nec erepta humanis usibus. Interim ideo  
 tantum, quia magna sunt secularisari oportuisse, id vero  
 est, quod Politicos Scriptores non Politice, sed nimis im-  
 prudenter urgere autumamus; Majores nostri enim per  
 ea, non religioni tantum, sed universo ordini literario  
 consuluerunt, cui quoque male fuit, quandoquaque illa  
 in manus sub tegumento Politices latentium illiterato-  
 rum inciderunt. Politici ergo qui obliquitatem rebus  
 suis maxime debuissent, nimis recta incedendo pro-  
 pria vineta ceciderunt, dumque Turbamenta Vulgi hac  
 in re se detexisse opinati sunt, turbarunt se ipsos, plane im-  
 memores arcani istius ap. Ciceronem de Divin. quo vel  
 Auguribus liberaliter prospiciendum esse censeretur: *Ne  
 ars tanta propter tenuitatem hominum à Religione abduce-  
 retur.*

## XII.

Coronidis loco & de re Scholastica, tanquam Sa-  
 crorum Civiliumque Seminario verbum addimus. Non  
 ignota sunt prolixiuscula illa Grammaticæ, Rhetoricæ,  
 Logicæ, aliarumque Disciplinarum Præcepta, præpara-  
 menta item per Linguam Latinam & Græcam tanquam  
 Linguas doctas superioribus temporibus instituta: Sper-  
 nuntur illa nostra ætate, qua omnia compendiosius ac  
 brevius tradi posse confidimus: Nec abs re; Sed si Ju-  
 ventus nostra capacitatis prudentiæque virilis esset: Qua  
 quia destituitur, ambigimus, an justus aliquis fructus spei  
 I  
 consi-

confilisque talibus, licet bonis, respondeat. Quin potius singulari prudentiæ Majorum nostrorum ambages istas tribuimus, qui cum æque potuissent necessaria à superfluis discernere, nihilominus crediderunt Juventuti magis expedire per externam hujusmodi obliquitatem, quam breviori via duci, tum ut animus ejus fluxus alias & vagus firmiter contineretur, tum vitandi majoris mali causa, ne solidioribus literis contemptus & in ipsis discentibus vanitas subnasceretur. Nec de nihilo id esse argumento est, quod Juventus nostrorum temporum non melior aut doctior sit, quam olim fuit, sed ut plurimum vel vanior fiat, quæ enim tam cito ea apprehendere posse audit, neglectim habet: Vel elatior, dum enim summam rerum se jam comprehendisse autumat, spiritibus intumescit cunctaq; juxta se contemnit: Unde & rariuscule nunc ad solidiorem doctrinam pervenitur, non vitio doctrinæ, quæ laudabilis est, sed intemperantiæ Juvenilis, quæ doctrina non idonee uti potest.

### ADDENDUM ad Cap. I §. III. & XV.

**O**blivitatis in Sacris non exiguum argumentum est, quod ipse Servator passim responsis non directis sed indirectis, at nihilominus ex hypothesi colloquentium accuratissimis usus fuerit: *Ut, Adversariis pares objectiones & argumenta identidem reverendo e. gr. Matth. IV. 3. usq; ad 10. ubi Christus cum Tentatore disputans verbi Divini citationes, citationibus compensando palmam obtinuit. Matth. XV. 2. seqq. Traditionum transgressionem refert Mandatorum Divinorum Transgressionem velut par pari, quin imo minori majus, scil. verum ac gravius crimen exprobrando. Matth. XXI. v. 23. seqq. Scrupulum de officio*

audacter. Vereri haberem idem, *Illustris Domine*, nisi spes suggereret certissima, vix puniri turbantem, nisi ratione doli. Exulat dolus, exulat fraus, exulabunt non dubito adversa de iisdem cogitata. Etenim Biennium est, & quod excurrit, cum exoptatissimis Tuis Auspiciis Francofurtana mea susciperem studia: decurri, quantum licuit, ex voto; Quam attigerim metam, restat hocce Tibi ostendam specimine. Exposces, & recte, cur selegerim materiam de Turbamentis: Imbecillitatem meam, & quod vix digna expectationi Tux adferre valeam, innuere intendi: Specie moventia sunt Turbamenta hæc, deerant enim quæ verè movere poterant, verè tamen motura credebam, si Illustre nomen Tuum hisce præfigerem: Magnis enim Magna expectanda aut à paribus aut à superioribus, quos cum patricissimos imò nullos penes se videant, nec infima despiciere possunt, vel ab infimis oblata, rarè enim alias debito colerentur cultu: Imo Patronorum natura Clientum facultates requirit inferiores.


Ne

Ne ergo indigneris, *Illustris & Excellentissime Domine*, me hocce audaciae genus subiisse, ut auderem leviculis hisce *Illustre* & ad aeternitatem penetrans *Nomen* Tuum praefigere; Certissime enim persuasum habeo, cum tuo vivam seculo, *Nomine Tuo Celeberrimo* opitulante, in me Clientem Tuum subjectissimum, fausta atq; felicia quævis redundatura. Respice ea ex sublimi, in quod *Magnus Fridericus V Vilhelmus* Te digne collocavit, solio; Respice Tui devotissimum, quem generosa Tua Humanitas undiquaque deprædicata, velut inescavit, quique proinde ab aspectu Tuo visum desiderat: Suscipe eum benigne, qui utut indignus, devotus tamen, Gratiam Tuam ambit, & firma spe alitur, se non deturbatum iri. Ita assiduis D. O. M. pro omnigena Tua & ad seros annos duratura felicitate supplex venerabor ac demoriar

*Illustris & Excellentissimi Nominis Tui*

Devotissimus Clientis

DANIEL Falck.



ILLUSTRI & EXCELLENTIS-  
SIMO DOMINO,

DOMINO

PAULO FUCHS,

*Serenissimi ac Potentissimi*  
ELECTORIS BRANDEN-  
BURGICI CONSILIARIO  
STATUS INTIMO

*Domino ac Patrono Suo*  
*Benignissimo,*

DISPUTATIONEM HANC

*Devote transcribit, consecrat*  
*subjectissimus*

DANIEL Falck.

*ILLUSTRIS & EXCEL-  
LENTISSIME DOMINE,  
DOMINE BENIGNISSIME,*

**M**iraberis forte, qvi ausus  
fuerim Illustres Tuas hocce scri-  
pti genere accedere ædes; Turba-  
bamenta enim exhibet idem, tur-  
bantem puniri legum adferro adferes rectè:  
Enim vero si custodia Societatis privatorum  
adversatur, eam turbando præstare inqvie-  
tam, quid non eum manebit, qui & Fulci-  
mina Societatis intacta relinquere dubitat  
auda-

officio suo compensat atque propellit *Scrupulo de officio Baptista, Matth. XXVI. v. 23. seqq. Fortius argumentum ab eadem Materia, scil. pauperum conditione desumptum reponit, collata pauperum continua presentia cum futura sua absentia.* Quæ pluribus diducta vid. ap. *Plur. Rev. Dn. Grebenitz. in accuratissimo scripto contra Scrutinium veritatis fidei Joh. Franc. Hacki Soc. Jesu, avendörw* quidem adhuc, sed brevi edendo. Tetigit eandem rem *Ill. Verulamius: Responsa nempe Salvatoris nostri ad Questiones non paucas non videri ad rem, sed quasi impertinentia; Et rationem ejus geminam reddit: Alteram, quod cum cogitationes eorum, qui interrogabant non ex verbis, ut nos homines solemus, sed immediate & ex sese cognovisset, ad cogitationes eorum, non ad verba respondit: Alteram, quod non ad eos solum locutus est, qui tunc aderant, sed ad nos etiam, qui vivimus, & ad omnes ubi actoci homines, quibus Evangelium fuit predicandum.* de Augm. Scient. L. IX. c. I.

### Ad Cap. II. §. IV.

Astrologica prædictiones quotidie re & eventis resselluntur, demonstrante Cicerone *de Div. L. II. c. XLII. seqq.* Utrum inhabilitate corporum cœlestium ad res nostras, an defectu sufficientis cognitionis eas tentantium, non examinabimus. Quid est vero, quod nihilominus Res & Eventa sæpe respondeant? Vel in specie, quid est, quod Fuhrmannus *in Calendario A. MDCLVI. ad D. XXIX. Jun. St. N. Conventum Serenis. Elect. Brandenburg & Caroli Gustavi Regis Svedicæ* ea die futurum potuerit prædicere, qui illò tempore, quò Fuhrmannus hæc scripsit, nemini in mentem venire poterat. Verba ejus sunt: *Rohter Adler und Edw trincken frölich ihre Gesundheit.* Et illa



illa ipsa die Potentissimi hi Principes Bartensteinii in Borussia Electorali, Patria nostra, convenerunt & hilaritatis eo genere, de quo Fuhrmannus dicit, se recrearunt. Idem p. II. Eiusdem Calendarii ad Mensem Julium notat: *Last sehn/wer in dem Treffen so vorfällt den Platz behalten/und die Siegestrone davon tragen wird/es scheinen zwar die Sachen allerseits mißlich/ dürfte aber dem Löwen und rothen Adler mehr als ihrem Widersacher das Glück favorisiren/ man hats zu vernehmen/ und werden es mit der Zeit die Reporten eröfnen.* Et eodem tempore prælium Warfaviense feliciter commissum victoriaq; ab iisdem Serenis. Principibus ablata fuit. Audiemusne Ciceronem de *Divin.* II. 31. *Quid est cur Divinitus ea potius, quam casu facta esse dicamus? Vel potius Quintum Fratrem ejus eodem L. C. XLIX. gentili more suo loquentem: Dii diligunt nos: Sunt enim benefici, generique hominum amici: Neque ignorant ea, qua ab ipsis constituta & designata sunt, neque nostra nihil interest scire ea, qua futura sunt: erimus enim cautiores, si sciemus; Neque hoc alienum ducunt Majestate sua: nihil est enim beneficentia præstantius.*

SIT HONOR & GLORIA DEO.

